
DANIELIS FARLATI

Presbyteri Societatis Jesu

DE ARTIS CRITICÆ INSCITIA

ANTIQUITATI OBJECTA

LIBER SINGULARIS.





VENETIIS MDCCLXXVII.


APUD SEBASTIANUM COLETI.

SUPERIORUM PERMISSU.





JOANNI PAULLO
DELPHINO
EPISCOPO CENETENSI



JACOBUS COLETUS.

NEque honorabilius quidquam, neque jucundius mihi potuit accidere, Clarissime Antistes, quam ut liber hic tuo nomine inscriptus ederetur. Exiguus quidem sua tenuitate est, at Scriptoris merito, & rerum veritate, quas complectitur, haud ita parvus, ut despici posset, & publica, qua nunc gaudet, luce privari. Erat autem aequa mihi caussa proposita, cur te prae ce-



teris deligerem hujusce operis Patronum; quippe eximias animi ingeniique dotes in ipso Auctore aliquando probaveras judicii tui testimonio; & in ejusmodi studiis, quæ Criticam Artem spectant, & usum ad res Ecclesiasticas tractandas, a prima fere juventute fueras ingeniose, sapienterque delectatus. Ad hæc vero, & ad graviores quasque disciplinas excolendas cum esses jam excellenti indole, aptoque ingenio a natura efformatus, nil profecto mirum, si tantum ex iis perceperis oblectamenti, ut inde uberrimos postea Theologicæ doctrinæ, ac sacræ eruditionis fructus fueris assecutus. Qua in re & illustrium e tua Gente virorum exempla es imitatus, qui Delphinum nomen mirifice doctrina extulerunt, & Ordinis Lateranensis, cui adolescens temet dedidisti vero religionis ac pietatis impulsu, vetusta decora novo auges sapientiæ tuæ, &, qua hinc perficitur, religiosæ virtutis splendore: unde tibi aditus patuit, quo tuis ipse meritis ad hunc Episcopalis dignitatis gradum conscenderes, Majorum tuorum sive ex eadem Gente, sive ex Ordine illo ferme tritum vestigiis. Neque ego Gentis Delphinæ hic velim præconia persequi, cui par non essem laudandæ, præsertim cum Petrum illum memineris, summum Camaldulensium Monachorum decus, totique Europæ haud minus sanctissimis moribus, quam

do-

doctrinis, ac dignitate conspicuum; neque Ordinis tui ingentia in Ecclesiam merita commemorem, aut egregios in scientiis ac litteris qualibet ætate colendis labores, quæ immensam ad scribendum segetem suppeditarent: sed hæc animadvertens facile intelligo, tantum e tuo nomine honoris, atque ornamenti huic lucubrationi accedere, quantum optare vix audeam, eoque illud amplius, quod patrocinio innixa sit ac fulta talis Antistitis, qui cum ab Apostolo Paullo didicerit, profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ *devitare*, eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem *hausit e puro sacræ Antiquitatis fonte*, ut potens esset exhortari in doctrina sana, & eos, *qui insolenti inanis gloriolæ studio, non ullo veritatis amore ducti* contradicunt, arguere. *Quem te esse gaudet Cenetensis Ecclesia, & hactenus experta est, maximo omnium bono, quorum æternæ incolumitati ita invigilas, ita consulis, ita studes, ut nullum doctoris, ac patris munus sit expetendum, quod iisdem a te non fuerit æque amantissime, ac sapientissime præstitum. Equidem cum tuam ipse memoria recolo animi humanitatem, qua me excepisti aliquando, tum suavissimam consuetudinem tuam, & agendi loquendive summam cum gravitate conjunctam affabilitatem,*

tatem, his te perspicio optimæ naturæ donis cumulatum fuisse, ut præclaram inde Patris ac Pastoris formam referres, quam creditæ tibi Ecclesiæ oves diligerent simul, ac revererentur, tuisque præceptionibus ac monitis eo lubentius obtemperarent, quo amantiori paternæ caritatis dulcedine essent inspersa. Et hoc igitur mihi jucundius est, lucubrationem hanc in tuam tutelam a te fuisse receptam, quod neque exiguum licet munus pro tua ipse bonitate velles despicere, & siquid minus rectum in subjectas saltem notationes irrepserit, excusare optime nosses. Id vel tuæ mihi testantur supremæ litteræ tanta benevolentia scriptæ, ut reverentia erubuerim; id præteritæ consuetudinis perbonorifica recordatio; id tu demum ipse, qualem, non mea dicam experientia, sed constans te novit esse sapientum virorum judicium. Quamobrem unum superest, quod orem, ut hæc præterea animi sensa eodem favore prosequi velis, tuique venerationi totum me addictissimum pari benignitate tueri.

De Artis Criticæ inſcitia Antiquitati objecta

LIBER.

QUi hac noſtra ætate ſe Criticos (1) dici haberique volunt, artis ſuæ fiducia tantum ſibi arrogant, ut de rebus omnibus quod cuique lubet veroque ſimilius videtur, libere ſentiendi & pronunciandi jus, poteſtatemque ſibi uſurpent. Siquidem hoc ipſius artis proprium eſt ac præcipuum, niſi ſumma cautio ac proviſio, quæ ſane paucorum eſt, adhibeatur, ut homines faciat elatos, præſtandi cupidos, aliorum contemptores, ſibique adeo præfidentes, ut cum omnia ſuo judicio ſubjiciant, nullius ipſi judicium ſubire velint. Nihil validius inveniri poſſet ad cohibendam iſtam licentiam, libertatemque judicandi, quæ in dies latius ſerpit, & omnem legitimæ cenſuræ modum prætergreditur, quam reverentia illa, & quædam quaſi religio, quæ ſacræ Antiquitati debetur, ſi hujus auctoritas tanti ponderis apud Criticos eſſet, quanti eſſe deberet; ut non aliter ſibi de qualibet re ſentiendum putarent, atque a majoribus judicatum, & poſteris bona fide traditum fuit. Sacræ quippe, & eccleſiaſticæ Antiquitatis nomen graviſſimum eſt, atque ſanctiſſimum, magna vis, auctoritas ſumma, ut æquis iniquiſque ingentem quandam animo venerationem metumque objiciat, nec liberam contra ſe vocem erumpere ſinat: ex quo fit, ut ſapientiſſimus quiſque Antiquitati vel plurimum deferat (2), hujuſque omni in re conſenſionem præju-

dicatæ sententiæ loco habeat, cui repugnare extremæ cujusdam audaciæ sit.

Porro Critici nostri, qui nihil sibi non licere putant, quod omnia suæ arti concedenda prædicant, nihil ægrius ferunt, quam si quis huic licentiæ nullis vinculis adstrictæ, & passim ac libere per omnia vaganti Antiquitatis objectu quosdam quasi frænos injiciat, tantumque de suo jure detrahi censent, quantum auctoritatis ac fidei Antiquitati tribuitur. Quare ne quid Criticæ officiat, quominus non solum libere, quacumque velit, sed etiam licenter errare possit, hujus artis usum ac scientiam Antiquis adimunt, sibi unis attribuunt, eo nimirum consilio, ut vulgo persuadeant, veterum placita ac testimonia haud magni momenti esse ad fidem faciendam, & quidquid illi scriptum reliquerint, id omne posterorum judicio expendi, atque ad Criticorum tribunal revocari oportere. Ita Antiquitatis auctoritate imminuta & reverentia propemodum omni sublata, hunc quasi obicem amoverunt, quo se ac suarum opinionum licentiam cohiberi, & in exiguum angustumque concludi videbant. Neque vero hæc a me confingi putes, ut inde materiam invidiæ adversus Criticos quæram, auctorque sim hujus artis e republica litteraria eliminandæ, quæ ipsa per se optima est, magnoque in litteris usui; sed quorundam vitio male audit, qui in veterum rerum memoriam præsertim sacrarum plus nimio sibi licere existimant. Hanc suspicionem diluunt, qui principem locum inter Criticos tenent, quique testes mihi esse possunt, nihil a me falso, nihil invidiose, nihil calumniandi caussa dici.

Non est, opinor, Bailletus (3) inter postremos Cri-

Criticos adnumerandus, neque, ut videtur, inter illos, qui de Artis Criticæ scientia facile aliis concedat. Is porro in ea dissertatione, quam Tom. 1. *de Vitis Sanctorum* præposuit, id agit, in eo maxime laborat, ut nobis persuadeat, nullum ab initio Ecclesiæ usque ad sæculum decimum sextum extare opus de Actis Martyrum, sive Divorum Historiis inscriptum, quod perfectum sit, multaque litura non indigeat, & ex omni memoria superiorum ætatum neminem inveniri posse, si unum Eusebium excipias, qui aliquid in eo genere tolerabile posteris reliquerit. Quid ita? (4) quia Majores nostri & idoneis monumentis carebant, ex quibus perspicere ac dijudicare possent quid in quaque re verum, sincerumque esset, neque ceteris subsidiis ad id necessariis instructi erant, quæ sive a natura donari, sive ab arte comparari solent. Idem paullo infra veteres omnes, qui Martyrum certamina litteris consignarunt, in eadem culpa & suspicione ponendos censet, cum illis objicit, quod Acta Martyrum undique & sine ullo delectu colligerent, propterea quia neque ingenii perspicacia ad discernendum, neque artis criticæ prudentia ad dijudicandum satis valebant.

Elias Dupinus (5) in primis Criticorum clarus ac nobilis, is, qui omnes ecclesiasticos Scriptores evolvit, & suis quemque momentis ponderavit, ut libros Sybillinos rejiceret, quos ceteroquin videbat summo totius Antiquitatis consensu & receptos & approbatos, tantam nubem testium sibi oppositam hac una ratione discussit lib. 1. Bibl. Eccl., quod veteres illi Patres hujusmodi versus Sybillarum nomine subjectos ad Criticæ leges non satis expenderint, quippe cum aliis

multo gravioribus curis occuparentur, ex quo fieri, ut sæpe in historia errent turpissime, & librorum suppositorum testimoniis ad fidem faciendam abutantur. Idem paullo ante docuerat, nemini vitio dandum esse, quod in iis, quæ ad Criticem spectant, a communi veterum sententia recedat, ut juniores, qui contra sentiunt, sequatur; licet ii quidem hæreseos suspecti essent, modo tamen docti, criticesque bene periti haberentur. Nam, ut ibidem docet, illud sæpe accidit, ut antiqui Scriptores, iidemque rebus gestis æquales ex ore alterius multa scribant, & sine ulla dubitatione affirment, quæ ipsi neque viderint, neque ad criticam disquisitionem vocaverint.

Natalis Alexandri magnum in Criticis nomen fuit; quippe qui summam in eo genere laudem adeptus sit ex Historia Ecclesiastica, quam scribere aggressus nihil se præteriturum profitetur, quin ad vivum resecet, & sub acumen gravissimæ severissimæque criticæ subjiciat. Vide porro quam ille viam rationemque inierit, ut veterum auctoritatem eluderet, sicubi forte suis opinionibus adversaretur. Quæris ab eo quid sit, quamobrem librum illum, cui nomen est (6) Pimandro, reprobandum duxerit, negaveritque Mercurium Trismegistum habendum esse illius auctorem? cum ceteroquin huic libro Justinus, Lactantius, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, aliique Patres fidem & auctoritatem adjunxerint, eumdemque Mercurio Trismegisto adjudicaverint: in promptu est ratio, quam suæ opinioni subjiciat: Patres nimirum adstipulatos fuisse communi Æthnicorum errori, qui hujusmodi librum & magni facere, & Mercurio attribuere solebant; de illius auctore, & auctoritate haud

ma-

magnopere laborasse, cum gravioribus occupationibus distinerentur, quam ut partem aliquam curæ & cogitationis suæ in hæc Criticorum studia derivare possent: *Respondeo*, inquit, *Patres illum hoc nomine citasse, quia illum Mercurio Gentiles tribuebant, illumque magno habebant in pretio . . . . Ceterum an Mercurii revera esset, necne, Patres non expenderunt majora in studia incumbentes*. Sollemnis hæc est, & usitata Criticorum responsio, ut se majorum auctoritatibus quam possunt honestissime expediant: ajunt enim illos tot tantisque negotiis, & laboribus, iisdemque necessariis impeditos fuisse, ut de criticis rebus ne cogitandi quidem spatium habuerint; nec sane gravate illis alia omnia concedunt, ut criticæ artis usum & facultatem iisdem eripiant, quam ad hæc tempora, sibique unis reservatam esse volunt. Quid quod idem auctor ab criticorum censura ne Concilia quidem, nedum Auctores mediæ ætatis eximenda censet; & quod juris, auctoritatisque omnium concessu posteriora in anteriora Concilia usurpant in iis rebus, quæ neque ad fidei neque ad morum constitutas regulas pertinent, id quoque criticis suis æqualibus concedendum putat: Sæc. primo tom. 2. diss. 20. pag. 222. Hist. Eccles. *Si enim*, inquit, *posteriora Concilia jus habent corrigendi priora, ... non mirum, quod Concilia, & eruditos Auctores, qui post octavum sæculum vixerunt, Viri hujus sæculi doctissimi emendent in rebus criticis, quorum media ætas rudis erat* (7).

Richardus Simon, is qui (8) ad sacros Codices interpretandos, & antiquas ac vulgo receptas interpretationes corrigendas adjumenta omnia, quæ ab ar-

te

te critica suppeditari possunt, sibi comparaverat, ut in re critica nemini concedit, sic in contemnenda dispiciendaque Antiquitate facile omnibus antecellit. Hoc in primis constituit, & omnibus, qui Criticis dant operam, notissimum, & persuasissimum esse jubet: neminem cui veritas cordi sit, summorum virorum neque nomine, neque antiquitate magnopere commoveri debere, prohiberive quominus suum ipse judicium adhibeat; quippe pro certo habendum esse censet majores nostros ab iis subsidiis imparatos fuisse, quæ ad rem unamquamque existimandam, suoque momento ponderandam necessario requirantur. Præterea hoc maxime cuique cavendum ac providendum putat, ne in rebus criticis Patrum testimoniis nimis credulum se præbeat, ut etiam sine ratione earum apud se valeat auctoritas. Nam illi quidem ut in aliis studiis, optimisque artibus satis versati & exercitati essent, minime tamen criticorum arma & instrumenta tractare consueverant; nec vero ab rebus gravioribus tantum otii iisdem erat, ut multam in eo studio operam curamque consumerent.

His adde Auctorem Bibliothecæ criticæ, qui cum fateatur vim inesse vel maximam in unanimi Patrum consensu, idem tamen eodem loco hanc exceptionem subjicit: eorum auctoritatem, vel si omnes ad unum idem sentiant, parvi faciendam esse (9), ubi de rebus, & factis agitur, quæ critici juris sunt, & Criticorum trutina examinari oportet. Nec vero necesse est reliquos hujus artis principes nominare, & quemadmodum quisque de Antiquitate sentiat, e cujusque scriptis elicere: nam qui unius sententiam recte novit, omnium noverit. Ita omnes una & mente

& vo-

& voce hac de re consentiunt, licet de ceteris inter se plerumque diffidant (10).

Haud equidem ignoro eos ipsos, quos modo recensui, alias aliter de Antiquitate loqui ac sentire; nemo sane est quin profiteatur se veterum auctoritati vel plurimum tribuere, & speciem quamdam religionis etiam, non modo reverentiae erga illos praeseferat. Sed huic sive religioni, sive reverentiae modum quemdam arbitratu suo praefiniunt. Si quae isti mordicus tenent, obstinateque defendunt, iis majorum quoque patrocinetur auctoritas, aut certe non officiat, nihil sane apud illos est Antiquitate sanctius, nihil venerabilius. At ubi suas opiniones, in quibus unice se amant, veterum testimoniis labefactari convellique animadvertunt, tum antiqui Scriptores nihil sapiunt, vulgi rumores nullo delectu, nullo satis certo auctore aucupantur, uno verbo, artem criticam funditus ignorant. Quid porro est aliud veterum auctoritati illudere, eosque prae se despicere, & contemnere, si hoc non est? Si enim quidquid honoris ac reverentiae Antiquitati deferunt, in eo demum consistit, ut ex antiquis monumentis id tantummodo ratum habeant, quod suis ingeniis arridet, profecto satis ostendunt, se ad id credendum probandumque non tam majorum auctoritate, quam suo quodam sensu judicioque duci, parati negare illud idem, quod probent, si contraria quaedam opinio eorum animos mentesque praeoccupasset. Si qua igitur de re antiquis Scriptoribus consentiunt, si quando eos probant ac laudant, non id propterea faciunt, quod eorum auctoritate moveantur, sed quia cum eo, quod ipsi sentiunt, illorum judicia opinionesque concordant.

dant . Id autem nihil aliud est , nisi Antiquitati se insolenter præferre , & omnia, quæ ab antiquis scripta sunt, vel tradita , revocare ad suum sensum, & expendere ad illud sincerum ac subtile judicium, quo se præditos esse gloriantur : quocum illa si cohæreant, haud illibenter admittunt, si discrepent , funditus repudiant . Ita fit , ut non aliunde , quam a se ipsis, recte sentiendi regulam sumant, qua vera & falsa dijudicent , ad quam veterum judicia exigant , probent, castigent , excipiant , condemnent . Tantum ergo abest , ut se majoribus submittere velint , ut vel tum eos infra se abjiciant , cum summis laudibus efferunt, in eorumque nomine , & auctoritate acquiescere videntur (11).

Quare nihil est , quod se tantopere Antiquitatem revereri , & colere profiteantur communi illo Criticis omnibus ac pene jam ridiculo scribendi procemio, in quo præseferunt , se ad veritatem inquirendam antiquorum vestigiis insistere , & ab his vel transversum unguem deflectere piaculi instar putare ; qui contra sentiunt & faciunt , eos gravissimis verbis reprehendunt; de sua adversus Antiquitatem observantia, ac propemodum religione magnifice profitentur . Quorsum hæc enim spectat tam propensæ , eximiæque erga veteres voluntatis professio ? Eo nimirum, ut statim ab initio scribendi simulatione quadam & inani ostentatione sibi moderationis , modestiæque famam concilient ; & hoc deinde impunius ac liberius de majorum auctoritate detrahant, simul atque se obtulerit occasio , quod cum antea eos amplissimis verbis ornaverint , omnem vel contemptus vel arrogantiæ suspicionem ab se amovisse arbitrentur.

tur . Ceterum cum isti Antiquos auctores sive laudant , sive contemnunt , ea mens idque consilium est , ut jus illud , quod sibi in Antiquitatem arrogant , omnino tueantur . & quæcumque veteres tradiderint , ad suum arbitrium revocent , & cuncta suo judicio & censuræ submittant : ex quo fit , ut sicubi veteres contra scripserint , atque ipsi sentiunt , continuo illis fidem abrogent , atque ut eorum obtundant eleventque auctoritatem , indiscriminatim omnibus objiciunt , quod Criticæ artis vim usumque ignoraverint. Nostri porro consilii, atque instituti est, Antiquitatem præsertim sacram & Ecclesiasticam ab ejusmodi calumnia vindicare , ut sua illi fides & auctoritas constet.

Quod a Platone primum , deinde ab Aristotele traditum Viri sapientes præcipiunt , omnem institutionem, quæ de re quacumque suscipitur , debere a definitione proficisci , ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur , hoc in primis mihi faciendum arbitror , ne vagari & errare cogatur oratio , si inter quos differitur , non ante conveniat quid sit illud , de quo differitur . Critica igitur , si vim vocabuli spectes , nihil aliud est , nisi *Ars quædam judicandi, sive discernendi* (12) . Huic quasi materia , quam tractet , & in qua versatur , subjectum est quidquid amplissimis reipublicæ litterariæ finibus continetur . Etsi vero hujusmodi studium recte judicandi , quod mutuato a Græcis nomine *Critice* dicitur, per omnia litterarum , ac disciplinarum genera late fusum ubique locum habet , attamen Historicam provinciam jure quodam præcipuo tenet, eamque in primis moderatur . Nobis porro necesse non est omnia perse-

B qui,

qui, quæ critici juris sunt, hujusque Artis professoribus uberem sane ac multiplicem materiam ad judicandum suppeditant; sed quemadmodum initio proposui, disputationes nostras ex ingenti quodam immensoque campo, in quo Criticorum studia longe lateque excurrunt, intra cancellos Historiæ, & quidem Ecclesiasticæ compellimus. Itaque probe definietur a nobis Critica, quatenus nostro instituto deservit, & paullo contractior est, cum eam Artem esse dixerimus, quæ versatur in iis, quæ ad sacram Historiam sive scriptam, sive traditam referantur, & vera a falsis, verisimilia ab incredibilibus dijudicat, ac distinguit. Jam vero id nunc ago, id contendo, veteres ac majores nostros neque hujusmodi Criticæ ignaros, ac rudes fuisse, & ejus usum æque antiquis ac nostris temporibus viguisse, ut non temere illi quidem & inconsulte, quemadmodum Critici nostri putant, sed judicio quodam delectuque adhibito rerum Ecclesiasticarum memoriam litteris ac posteritati mandaverint.

Principio illud sumo, quod mihi ab omnibus dari concedique oportet, veri investigandi, & ab eo, quod falsum est, dignoscendi desiderium quoddam, ac studium ab ipsa nobis natura inditum esse; ut nihil sit, quod mens humana tantopere concupiscat, & quod suopte ingenio avidius appetat, quam veritatem assequi & inquirere; nihilque item sit, unde vehementius abhorreat ac declinet, quam in errorem induci falsisque opinionibus imbui. Argumento est, quod nullo magistro, sed ipsius naturæ admonitu illud omni ope atque opera cavendum putamus, ne quis error mentibus nostris obrepat, neve quid no-

bis,

bis , nisi certum ac firmum , quantum rerum conditio patitur , animo inseratur ; & cum voluntatem nostram, perlevi sæpe momento impellente, huc illuc pro arbitrio inflectamus , in assentiendo tamen usque eo difficiles & morosi sumus, ut ab iis rebus, quibus nulla insit certa aut probabilis judicandi , & assentiendi nota, assensum omnem cohibeamus. Hinc ab eadem natura docemur nihil esse præclarius, quam investigare ac perspicere quid in quaque re verum sincerumque sit, nihil turpius quam falli, errare, nescire , ac decipi . Ex quo & illud existit, animis hominum insitum esse , vel potius innatum veri falsique dijudicandi studium, quod Criticem appellamus; quæ quidem, quamvis arte ac præceptis perfici possit , habet tamen ab ipsa natura , unde proficiscitur , præcipua ac necessaria adjumenta, quibus instructa vel sine ulla arte ac ratione, quæ sunt in re qualibet vera & falsa, discernere ac dijudicare potest. Natura quippe inest humano ingenio vis illa ratiocinandi, quæ nos ex apta antecedentium & consequentium rerum colligatione ad veri falsique cognitionem nullo errore perducit . Sensus præterea natura homini dedit , quorum adminiculo ac ministerio ad rerum investigationem utatur, quos recte Plato mentis internuncios , quasique Satellites nominavit , eosdemque duces ad veritatem esse dixit . His quippe id muneris datum est ut singula sedulo explorent, & comperta menti renuncient , de quibus deinde ipsa judicium ferat.

Ex hisce liquido constare arbitror nullo modo audiendos, qui contendunt Majores nostros penitus rudes ignarosque Critices fuisse , quæ tam antiqua est,

 quam

quam ipsa natura, tam hominis propria & naturalis, quam mens & ratio, unde nobis mira illa veritatis inquirendæ inveniendæque cupiditas existit, quæ nullo nos vitæ tempore deserit, & cum aliæ omnes tardius exortæ, ætatis flexu delabantur, hæc una nobiscum nata ad extremam usque senectutem perdurat. An non igitur, qui antiquis criticem adimunt, hi suam illis rationem, communemque naturæ sensum eripiunt? Nam si nullo veri falsique dignoscendi studio majores nostri afficiebantur, si quidquid incertis auctoribus fama & auditione acceperant, delectu omni & discrimine remoto, temere litteris consignaverint, quemadmodum isti dictitant; aut eos stupidos fuisse oportet, qui vim naturæ compellentis ad veri investigationem, revocantisque ab imprudenti assensu minime sentirent; aut vero dementes, atque insanos, qui cum ratione naturæque instinctu obnixe ac perpetuo pugnarent. Quod si paucos ex antiquis Scriptoribus nominatim designarent, quibus istiusmodi socordiam, & eam, cui natura maxime repugnat, veritatis investigandæ incuriam objicerent, aliquid fortasse afferrent si minus certum, attamen non improbabile; fieri enim potest, ut singulis ætatibus aliqui reperiantur, qui vel stupore quodam, seu tarditate ingenii, vel vitio depravatæ voluntatis ab hoc perenni communique naturæ instinctu degenerent. Sed cum universe loquuntur, neminem excipiunt, & toti Antiquitati hujus incredibilis vecordiæ, prodigiosæque stupiditatis notam inurunt. Quem autem hoc sibi daturum putant, nisi nobis antea persuaserint omnes fere homines, qui superioribus ætatibus vixerunt, rationis propemodum expertes, & ad commu-

mu-

munem naturæ ſenſum adeo hebetes & obtuſos fuiſſe, ut nulla veri falſique diſcernendi cupiditate afficerentur; quod perinde eſt ac ſi inter iſtiuſmodi homines & pecudes aut etiam truncos nihil intereſſe exiſtiment. Id autem hoc videtur eſſe incredibilius, quod hujuſmodi reprehenſionem præcipue intentant in Sanctos Patres & Eccleſiaſticos Scriptores, quorum animis veri inveſtigandi ſtudium non ſolum communis natura ingenuerat, ſed altius præterea infixerat ipſamet religio, cui nihil infenſius, quam falſitas, nihil odioſius eſſe poteſt. Quapropter vel tacente natura, religionis voce admonebantur ne quid cuique temere crederent, præſertim ubi de rebus ſacris ageretur; neve pro certo haberent, aut ſcriberent, quod ſibi non ſatis conſtaret; ex quo facile fieri poſſet, ut error, aut etiam ſuperſtitio quædam in hominum mentes irreperet. Quare de majoribus noſtris ita fere ſentiendum arbitror, ut neque miracula, neque Divorum hiſtorias, neque aliud quidquam, quod ad religionem ac pietatem quoquo modo pertineret, antea vulgaverint, litteriſve commendaverint, quam omnia, quoad ejus fieri poſſet, accurate inveſtigarent, ſuoque judicio expenderent: niſi vero exiſtimemus eos prorſus ignaros fuiſſe quid ratio, ac religio poſceret, & quantum in hiſce rebus examinandis diligentia cautioque præſcriberet, ne & ipſi deciperentur, & alios in errorem ſane perinicioſum inducerent.

Verum proximo, & ſuperiore ſæculo (inquiet aliquis) ſunt quædam regulæ, ab hominibus perſpicaciſſimis compoſitæ, quibus certa via ratioque recte judicandi traditur, & univerſum hoc ſtudium, quod eſt

eſt a natura, ad artem revocatur. Contra vero nullius veritatis internoſcendæ notas apud veteres conſtitutas fuiſſe legimus, nullas formulas præſcriptas, quibus veri falſique diſcrimen traderetur, cumque in judiciis ferendis unius naturæ ductum ſequerentur, hoc propius aberant a periculo errandi, quo ars eſt dux certior, quam natura (13). Sed cedo, quæ tandem ſint iſtæ regulæ, quas ab ſe primum inventas & excogitatas eſſe critici noſtri gloriantur. Nonne ad eas leges revocari poſſunt, quas vel nemine ſanciente ipſa ratio dictat; quaſque in hominum animis ante natura inſculpſit, quam in tabulis inciderentur? Nam ad criticum hiſtoriæ ſtudium quod attinet, hæc ferme iſti præcipiunt: ut iis potiſſimum fides habeatur, qui ſuæ ætatis, ſuæque provinciæ monumenta litteris mandaverint, vel certe non longe abeſſent ab iis temporibus, locíſque, quorum hiſtoriam ſcripſerint: ut ceteris præferantur hiſtorici illi, qui vitæ morumque probitate excelluerint, quod in eos nulla mendacii fraudiſve ſuſpicio cadat; qui ſive ad eligendum, ſive ad judicandum cum ingenii ſeveritate prudentiam quamdam conjunxerint; qui denique vel communi hominum conſenſu, vel Eccleſiæ judicio graviſſimo & maximo digni cenſentur, quibus auctoritas & fides tribuatur: ad extremum ut ne quis cuique antea credat, quam, quanti quiſque valeat, diligenter expenderit; ſitne ſuopte ingenio ad laudandum inclinatior, an ad carpendum; utrum dubia, utrum contraria narret, unde ſumat, quomodo ſciat, a quibus acceperit, quorum partes ſequatur, quibus adverſus ſit.

Hæc porro, & ſi quæ alia id genus Criticorum formulis

lis continentur, non sunt profecto quæsita ex occulto aliquo genere litterarum, sed sumpta de medio, quæ ultro cuique occurrunt, & patent, in promptuque sunt omnibus; ut ad hasce regulas percipiendas, & siquando usus est, adhibendas, præter vim atque industriam humano ingenio inditam, nulla fere doctrina atque institutio extrinsecus adscita requiratur. Quid enim in illis est tam subtile, tamque reconditum, quod sua quisque industria assequi nequeat? quid tam factu difficile, quod quivis per se ipse præstare non possit, modo in id animum industriamque intendat? quid tam cognitu necessarium, & observatu dignum, de quo nos ipsa natura non admoneat, quæ, cum cavere ab errore, veritatem vestigiis omnibus indagare jubet, vias quoque ostendit, quibus insistere oportet, ut hanc assequi, ab illo declinare possimus?

Non est, mihi crede, cum illis artibus adnumeranda Critice, quas longinquitas temporum, & diuturna multarum rerum observatio excipiente memoria, prodendisque monumentis perficere solet, veluti Physicam, Medicinam, & quidquid amplissima Mathematicorum scientia continetur. Est sane, cur istiusmodi artes juniorum industriæ vel plurimum debeant, quod ad eas augendas, & locupletandas assiduis longisque experimentis multa indagaverint, deprehenderint, patefecerint, quæ veterum diligentiam, & investigationem subterfugerant. In hisce artibus glorietur, per me licet, ætas nostra, qua cum de hujus laudis principatu ne contendere quidem Antiquitas potest. At pars illa Criticæ, qua historiæ cujusque fides & auctoritas explorari solet, non tem-

po-

porum diuturnitate, sed judicii quadam maturitate perficitur; neque constat ex observationibus, comprehensionibusque rerum investigatu difficilium, neque varia & multiplici experientia indiget, ut munere suo rite fungatur. Natura duce ac magistra contenta est; artem si naturæ adjungas, non respuit; sin minus, non admodum desiderat.

Quid quod vera illa, & summa lex recte judicandi, quam critici omnes ceterarum principem vocant, jubentque ad eam reliquas hujus artis regulas exigi ac referri, nihil aliud est, nisi vis quædam æquitatis & prudentiæ insita in natura, qua fit, ut ubi ubi est sentiatur quodammodo & gustetur veritas, eaque sapore quodam suo a falsitate dignoscatur. Inest enim, inquiunt, sanæ menti, & naturæ bene compositæ suum quasi palatum, quo vera & falsa percipit ac dijudicat, quodque cogitatione facilius concipi, quam verbis exprimi potest; nec magis arte comparatur, aut traditur, quam gustatus, sive odoratus. Ut autem quidam morbo aliquo, vel sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt; sic quibus sensus ille interior veri falsique arbiter aut vitiosus est, aut paullo obtusior, ii veritatis gustum non habent; non quod illis omnino ingenium, sed quod criticum ingenium desit. Bene profecto habet. Quid ergo? istiusmodi palato, quod nobis tam præclare sapere gloriamur, num majores nostri carebant? An natura communis omnium parens intimum illum sensum, intelligensque judicium, quo veritas percipitur, & gustatur, veteribus quidem subirata denegavit, nobis vero unis æqua nimirum ac propitia ingenuit?

Quid igitur est, quod in antiquis desiderari possit,

ſit, quominus ad Criticam exercendam apti idoneique fuiſſe videantur ? Num illis defuit prudens illud ſincerumque judicium, quod vi quadam ſua, ut modo dictum eſt, verum a falſo diſcernit ? At hoc illis erat commune cum ceteris cujuſque ætatis hominibus; quippe quod non arte acquiritur, ſed a natura donatur; quamvis olim ſimiliter atque nunc alii aliis in eo genere præſtarent. Num codicum & tabularum inopia laborabant, quibus fere ſimplex ac nuda rerum geſtarum veritas continetur ? At utinam nos iſtiuſmodi monumentorum tantam copiam haberemus, quanta majoribus noſtris ſuppetebat: id autem quod nobis ſupereſt ex antiquis codicibus præſertim autographis, quantulum tandem eſt? alios illuſtrium bibliothecarum incenſio abſumpſit, alios clariſſimarum urbium ruina obruit, alios vetuſtas ipſa confecit. Num rerum fama propter longinquitatem temporum hoc vitioſior, quo ſerius ad eos pervenit? quippe ex aliis in alias ætates propagata nunc augetur, nunc imminuitur, & quo longius progreditur, eo pluribus depravationibus e vulgi ſermone collectis inficitur. At ea quæ ſcribunt, vel ipſimet viderant; vel ab iis, qui viderant, acceperant; vel certe ab rebus geſtis multo propius, quam nos, ætate aberant. Quod autem ajunt illos gravioribus curis diſtentos fuiſſe, quam ut temporis operæque quod ſatis eſſet, ad rerum veritatem inquirendam conferre poſſent, id ſuo arbitratu dicunt, ut ſcilicet per ſpeciem majoris cujuſdam laudis veteribus tribuendæ, de illorum auctoritate in rebus criticis impunius detrahant. Ceterum quæ tanta eſſe poterat occupatio, quæ majores noſtros a cura inveſtigandæ veritatis

C avo-

avocaret, ab eaque lege eximeret, quæ jubet temeritatem ab assentiendo procul esse, simulque vetat incerta pro certis habere, posterisque tradere, præsertim ubi de iis rebus agitur, in quibus ferme illi versabantur, quæ ad religionem vel illustrandam, vel confirmandam referuntur?

Haud equidem negaverim quædam apud antiquos Auctores minus accurate cogitateque scripta, atque adeo perspicue falsa inveniri. Sed cujus est tanta solertia, tam vigil & experrecta, cui quandoque somnus non obrepat; tam vehemens & in omnes partes intenta, quæ non interdum cesset, & de summa sua contentione nonnihil remittat? Quis est tam lynceus, qui omnia videat, nihil offendat, nunquam incurrat? Humana hæc sunt, adversus quæ nunquam satis est cauta mortalitas, & quibus prudentissimus quisque, justissimusque rerum æstimator facillime ignoverit. Vereor quidem ne multa hujusmodi in antiquis reprehendamus, in quibus ipsi manifeste deprehendimur; quippe fere nemo est, quin acutius, neque acrius vitia in aliis, quam in seipso videat. Ex hoc enim tam ingenti hominum numero, qui nostra ætate præclaris operibus in lucem edendis typographos exercent, alii contentius, alii remissius ad munus susceptum cogitationem animumque applicant: sunt qui nimia credulitate peccant, sunt item qui metu errandi ne certissimis quidem rebus fidem adjungunt; aliis testes rerum, quæ narrant, desunt, auctoresque idonei, aliis subsidia librorum, aliis in vestigando contentio, aliis in judicando prudentia, aliis denique alia; & vel ii, qui diligentissimi, prudentissimique habentur, labuntur aliquando, & oneri cedunt, neque semper sic animum intendunt, ut nun-

quam relaxent, operique nunquam indormiant: ex quo fit, ut in iis ipsis rebus interdum errent, quæ nostris temporibus accidunt, quæque in oculis, conspectuque omnium geruntur. Homines quippe sumus nihilo feliciori, quam majores nostri, natura ingenioque præditi, quibus vel acerrime contendentibus sensim & sine sensu languor quidam irrepit, quique gravius sæpe tum labimur, cum omni ope & opera enitimur, ut nos a lapsu contineamus. Nunquam ego eorum opinionem probaverim, qui huic sæculo vel nova & priscis incognita vitia affingunt, vel ita blandiuntur, ut negent iis morbis obnoxium esse, quibus veteres laborabant. Humana infirmitas atque imbecillitas a principe illo & auctore nostri generis orta ex aliis in alias ætates haud interrupto quodam quasi traduce propagatur; & cum multa inde vitia, & incommoda oriantur, iis æque nos ac majores nostri urgemur, quibus expediri liberarique nemo possit, nisi prius naturam ipsam exuerit. Est autem prudentis & ingenui viri illud summopere cavere, quod iis familiare est, qui avidius quam cautius censorium stylum exercent, ne videlicet quæ singularia sunt, & paucorum vitia, in omnes derivet, totiusque Antiquitatis criminandæ occasionem inde arripiat; neve siquid a quopiam infirmitate naturæ peccatum est, continuo putet, nihil ab eo recte fieri aut dici, nullaque in re eum dignum habendum esse, cui fides adhibeatur.

At non deerit fortasse, qui censeat plus Antiquitati a nobis tribui, quam res & veritas ipsa concedat. Nam, inquient, si majoribus nostris, quod attinet ad rem criticam, omnia paria nobiscum fue-

runt , neque a nobis in eo genere vel natura , vel industria superantur , quid est quod illi nulla recte judicandi præcepta tradiderint, quod vix hujus artis vocabulum in eorum scriptis reperiatur , quod denique nemo inter illos fuerit , qui se Criticum profiteretur , atque in id studium ex instituto ac præcipue incumberet . Contra vero quid est quod ætas nostra Criticorum referta sit , eorum studia in primis floreant, eorum nomen sic vigeat, ut nulli fere alii docti videantur . Criticis porro præceptis , institutis, disquisitionibus plenæ sunt bibliothecæ, pleni sapientum libri ; hi leguntur , ediscuntur , in summo apud omnes pretio & honore habentur . Ex quo satis apparet, nostram hanc ætatem , ut aliis omnibus rebus inferior sit , in re tamen critica vel plurimum Antiquitati præstare, atque omnia, quæ ad hanc artem pertinent, posteros aut instituisse per se sapientius , quam antiquos, aut ab illis accepta fecisse meliora, & latius propagasse . Fateor equidem eo me compulsum , quo minime volebam ; non quod difficile mihi sit respondere ad ea , quæ quæsita sunt , sed quod invita versatur oratio in iis rebus , quæ nec invidia carent, & longiorem disputationem desiderant , quam nostri instituti ratio postulet. Verumtamen audendum est in loco ; nec erit, opinor, qui ferat iniquo animo, si exposuero, non tam quod mihi verisimilius videtur, quam quod prudentissimi sapientissimique viri sentiunt, qui hanc artem nimium vulgari , & ultra progredi , quam fit necesse , queruntur . Quæris igitur quid sit , cur Critice proximo & superiori sæculo a præstantissimis ingeniis coli , celebrarique cœperit , & latius in dies propagetur,

tur, & novis quotidie subsidiis, ornamentisque augeatur; cur ex anteactis ætatibus nulla possit inveniri, quæ majorem, quam nostra, Criticorum copiam effuderit, quæque criticis libris & disputationibus sit feracior. In promptu est caussa, quam huic interrogationi subjiciam, illa nimirum antiquarum rerum satietas, & mutandi libido, qua fieri solet, non ut vera, sed nova (14) delectent. Præclaris quippe ingeniis, quibus hoc sæculum abundat, nihil sane molestius est, quam tritas communesque vias insistere, neque satis suæ gloriæ & famæ post mortem futuræ consultum putant, nisi aliquid novi edere ex se, quasique procreare possint. Cum autem in omni fere litterarum genere optima quæque a majoribus occupata videant, & nihil propemodum loci posterorum industriæ, inventionique relictum, ubi nova proferre nequeunt, vetera quodammodo recudunt; & ut rebus antiquis novitatem quamdam concilient, in iis enarrandis, referendisque consulto a majoribus dissentiunt; quippe quod ita statuerint, non esse ex Critici dignitate, si quidpiam apud se valent, quod jamdiu vulgatum est, multisque commune; ex quo fit, ut hujus artis vim præcipuam in eo sitam putent, ut nobilissimas historias multarum ætatum fide confirmatas in controversiam ac disceptationem vocet, veterum dicta lente ac fastidiose probet, &, quod est tritum vetustate proverbium, vel in scirpo nodos quærat. Nam siquid forte fortuna invenerint, quod ex aliqua parte reprehendi possit, id continuo ad corrigendum & immutandum arripiunt; in eo se oblectant; in hoc docti ingeniosique haberi volunt, quod anti-



antiquatis veterum sententiis nova ipsi & inaudita comminiscantur. Huc scilicet spectat, huc homines impellit rerum novarum studium, & major gloriæ, quam veritatis assequendæ cupiditas: hinc autem novæ quotidie & a majorum sententiis discrepantes opiniones oriuntur, hinc uberior in dies criticarùm disputationum seges succrescit, hinc denique extitit hujus artis mirifica propagatio, in qua potissimum excellere creduntur non qui vera, sed qui nova proferunt, & cum novitatis studio plerique ducantur, inde fit, ut quamplurimi in Criticorum numerum certatim nomina dent, quod existiment, ad quælibet innovanda patere in hac arte licentiam, & illam viam sibi putent expeditiorem ad nominis famam & celebritatem, quam nullis veterum vestigiis impressam vident. Habes igitur caussam, cur nostra & patrum memoria evenerit, ut Critice tanto in honore haberi, summoque opere coli cœperit, & Criticorum numerus usque eo jam creverit, ut quemadmodum suum cuique sæculo ingenium est, quasique sidus, ita nostrum hoc ubertate atque indole quadam sua Criticos ferre videatur.

At veteres illi & prisci rerum nostrarum scriptores, quibus simplex veritas, non inanis gloria cordi erat, nihil nimis exigue & exiliter ad calculos vocabant, nec subtilius, aut fastidiosius, quam opus esset, in rem quamque inquirebant; graves illi quidem, & accuratos se in judiciis ferendis præbebant, sed quemadmodum ab temeritate in assentiendo longe aberant, sic illud sibi magnopere cavendum putabant, ne in nimiam quandam morositatem inutilem & odiosam inciderent. Quod rationi ac verita-

ritati (15) consentaneum, quod ad pietatem excitandam idoneum erat, quod a majoribus acceperant, quod superiorum ætatum consensu ratum esse viderant, id summa cum fide posteris tradebant, haud ignari res historicas hujusmodi esse, quas non aurificis statera, sed vulgaris cujusdam prudentiæ trutina expendi oporteret; & inique eum facere censebant, qui tantam in historiis evidentiam requireret, quanta inest aliis rebus, quæ aut oculis percipi, aut certa ratione ac scientia comprehendi possunt. Novitas porro semper illis suspecta fuit, cujus studio fit, ut illud maxime sequamur, non quod veritati proxime accedit, sed quod admirationem habet, vulgique plausus excitat. Erant illi simplices, aperti veritatis cultores, ab omni ostentatione & opinionum vanitate alieni; quod eorum scripta declarant, in quibus mira simplicitas inest, & quidam sine ullo fuco veritatis color, cujus tanta vis est, ut etiam sine ratione fidem rebus per se ipse conciliet. Nihil illi quidem litteris mandabant, quod non antea accurate investigarent, diligenter expenderent, sapienter dijudicarent; sed ubi quasdam insignes veri notas deprehendissent, quæ prudentissimi cujusque assensum elicere possent, his contenti erant, nihil ultra requirendum putabant; nam etiam investigandæ veritatis est modus quidam retinendus, quem siquis prætergredi conetur, nusquam inveniet, ubi consistat, nullum dubitandi & investigandi finem faciet; nolle autem in his acquiescere, quæ prudentum judicio credibilia sunt, aut superbissimi ingenii est, aut fastidii delicatissimi. Quare majores nostri neque vim criticam ponebant in assentiendi fastidio, & in rebus

bus vestigandis haud magis incuriam, quam nimiam curiositatem vitandam existimabant; eo criterii genere delectabantur, cujus fructus veritatis cognitio esset, non opinandi vanitas, aut ingenii ostentatio; quippe boni critici reipsa esse, quam videri appellarique malebant. Hinc cum illi taciti quodammodo, sine strepitu, sine contentione, sine argumentorum apparatu contra, atque nunc fieri solet, hujusmodi artem exercerent, factum propterea est, ut nihil minus, quam Critica, in eorum scriptis emineat, & appareat criticæ facultatis expertes atque ignaros fuisse; ob eamque caussam apud multos ita percrebuit, majores nostros, quod hujusmodi artem minime aperte profiterentur, iccirco eam ignorasse.

Sed hæc aliquibus ne opinione quidem, nedum ad veritatem plane persuaderi possunt, cum sine appositione exemplorum lentius disputantur. Age itaque rebus & factis ex ultima antiquitate repetitis hæc illustremus, quæ argumentis subtilius, quam satis est, disputari videntur. Ac primum quidem gravissimæ illæ, & jam inde ab initio exortæ de numero Canonicorum librorum controversiæ, cum (16) alii alios vel probarent, vel rejicerent, magno argumento sunt viguisse apud veteres studia rei criticæ; quippe quod hujus artis maxime proprium ac præcipuum est librorum auctoritatem expendere, & veros a falsis, germanos a suppostitiis dijudicare, ac distinguere. Præterea quis putet, majoribus nostris acumen criticum, & recte judicandi scientiam defuisse? qui tot falsa Evangelia miro ad decipiendum artificio composita sapienter, acuteque discreverint, ac rejecerint, qui nihil ficti, nihil insinceri, nihil de-

pro-

pravati, quod olim hæretici Apoſtolorum nomini, & auctoritati ſubjeciſſent, abire impune ſiverint, intactumque ab omni cenſura ad poſteros pervenire, qui nullam, quæ de Apoſtolicis ſcriptis eſſe poſſit, controverſiam prætermiſerint, quam non dirimerent, vel pertractarent, & in utramque partem expenderent, ut eorum induſtriæ ſollertiæque debeamus, quod nobis jam fixum exploratumque ſit, quæ recipi, vel repudiari, quæ certa vel dubia, quæ vera vel falſa, quæ ſincera vel corrupta haberi oporteat.

Deinde, ut propius ad rem noſtram accedamus, incredibile dictu eſt, quam ſe in colligendis probandiſque Divorum hiſtoriis cautos & accuratos majores noſtri præbuerint (17). Clemens Romanus Pontifex, idemque B. Petri diſcipulus ſeptenos Notarios expertæ inprimis religionis ac fidei viros conſtituit, & cum urbis regiones eſſent omnino quatuordecim, binas in ſingulos deſcripſit. His datum negotium, ut in ea, quæ cuique obtigerat, urbis parte Martyrum acta diligenter inveſtigarent, & in tabulas referrent, verba ipſa exciperent, & ſimul cum totius Martyrii hiſtoria litteris mandarent. Hæc de S. Clemente ſcripta invenies in lib. de Rom. Pont., qui S. Damaſo vulgo tribuitur: *Hic fecit ſeptem regiones dividi Notariis fidelibus Eccleſiæ, qui geſta Martyrum ſollicite & curioſe unuſquiſque per regionem ſuam diligenter perquirerent.*

Quæ Clemens in hanc rem ſapienter inſtituit, ea (18) Fabianus centum ferme & quinquaginta poſt annis non confirmavit ſolum, ſed etiam novis ad id creatis Magiſtratibus, conditiſque legibus amplificavit & munivit. Is quippe ſeptem Subdiaconos Notariis

D præ-

præfecit, qui vel Acta conquirerent, traderentque Notariis describenda, vel ab iis collecta & descripta primum ipsi recognoscerent, tum Diaconorum censuræ, postremum Romani Pontificis judicio ac sententiæ subjicerent, vel certe id sedulo curarent, ut Notarii impigre ac diligenter munere suo fungerentur. *Hic regiones divisit Diaconibus, & fecit septem Subdiaconos, qui septem Notariis imminerent, ut gesta Martyrum in integro colligerent.*

Manavit hoc præclarum institutum ab Romana Ecclesia in ceteras quoque Christiani orbis provincias, vel summi Pontificis auctoritate præscriptum, vel ab aliis Ecclesiis ultro receptum, quod unde fidei regulam, & bene beateque vivendi disciplinam accepissent, indidem optimarum rerum exempla petenda esse ducerent. Hujus consuetudinis latissime propagatæ vestigia ubique gentium intueri licet. Viguit iste mos in Achaja nobilissima Greciæ provincia, ut colligitur (19) ex Actis S. Andreæ Apostoli, quæ a Presbyteris ac Diaconis conscripta esse dicuntur; viguit (20) in Asia: argumento est, quod primores Ecclesiæ Smyrnensis extremum agonem, resque gestas S. Polycarpi, aliorumque Martyrum litteris consignarunt; viguit in Gallia: testimonio sunt litteræ publicæ de præclaris certaminibus Viennensium & Lugdunensium Martyrum ad Phrygiæ Asiæque Ecclesias perscriptæ; viguit in Ægypto: quippe Dionysius Alexandrinus Antistes, ut auctor est Eusebius, eorum, qui Alexandriæ sub Decio martyrium subierunt, Acta collegit, historiamque descripsit. Neque in hac re Africanæ Ecclesiæ studium & opera defuit; nam morem hunc perantiquum fuisse in Afri-

ca,

ea, & jam usque ab Apostolicis temporibus ductum, facile intelligi potest ex ipso procemio, quod Pontius diaconus Actis S. Cypriani Episcopi præposuit. *Cum majores nostri*, inquit, *plebeis & catechumenis martyrium consecutis tantum honoris pro martyrii ipsius veneratione dederint, ut de passionibus eorum multa, ac prope dixerim, pene cuncta conscripserint, ut ad nostram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenerint &c.*

Ac ne illud quidem silentio prætermittendum puto, quod hujusmodi Ecclesiæ Acta suorum Martyrum ad Antistitem perferenda curabant, qui ea, sapientissimis viris in consilium adhibitis, diligenter expenderet, & siquid irrepsisset a veritate, ac fide alienum, vel dedecori ipsis martyribus, & legentibus offendiculo futurum, pro sua ipse sapientia & auctoritate corrigeret, ut, cum probata essent summo totius Ecclesiæ Antistiti, tum demum rata haberentur, quæ Divorum fastis insererentur. Nec pauca suppetunt, quibus vetustus iste mos confirmetur, exempla, quæ videri possunt apud Joannem Bollandum Præfat. Gener. in Vitas SS. apud Andream Saussajum in Martyrolog. & (21) apud Mabillonium Sæc. V. præfat. num. 93. Ex hisce liquido constare arbitror, quam temere, & inique faciant, qui veteres calumniantur, quod recte judicandi, idest criticæ artis studia funditus ignoraverint, penitusque neglexerint; quodque nullo examine, nulloque delectu adhibito Divorum historias collegerint & approbaverint.

Quid quod jam inde a principio Christiani nominis Pastores, Præpositique Ecclesiarum suas esse ac præcipuas partes semper existimarunt, ut omnia, quæ

ad Divorum historias cultumque pertinent, in disquisitionem vocarent, vera ac probata feligerent, rejicerentque contraria, pœnis insuper in eos constitutis, qui aliquid hujusmodi falsum & commentitium vel reciperent ipsi, vel aliis obtruderent: id quod e sacris Canonibus, gravissimisque Conciliorum decretis cognosci potest. Inter eos (22) Canones, qui vulgo tribuuntur Apostolis, recensetur Canon quinquagesimus nonus, quo exauctorari & in ordinem redigi jubetur, qui libros impios ac suppositititios pro sanctis ac genuinis populo venditet. *Siquis falso inscriptos impiorum libros, tamquam sanctos in Ecclesia publicat ad Cleri & populi perniciem, deponatur* (23). Synodus Laodicena, quam, Silvestro Pontifice, coactam esse Binius existimat, eos anathemate perculit, qui religionis votique caussa *ad pseudo-martyres accesserint*. Concilium Carthaginiense sub exitu quarti sæculi Martyrum reliquiis, & altaribus cultum omnem abrogavit, quem non antiqua quidem, & gravissimis certissimisque monumentis testata religio sanxerit, sed nimia quorundam credulitas invexerit, qui somniis & inanibus visis, non secus ac divinis admonitionibus fidem tribuunt. *Omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus, aut aliquæ reliquiæ sunt, aut origo alicujus habitationis vel possessionis vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicumque constituuntur altaria, omnino improbentur*. Patres alterius Milevitanæ Synodi diligenter cavent, ac sanciunt, nequid Liturgiæ, publicisque Ecclesiæ precibus inferatur, quin antea receptum sit, & Concilii auctoritate comproba-

tum.

tum. *Placuit etiam & illud ut preces & Orationes seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, sive præfationes, sive commendationes, sive manus impositiones ab omnibus celebrentur. Nec alia omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractata, vel composita in Synodo fuerint; ne forte aliquid &c.*

Gelasius (24) Pontifex Maximus in Concilio septuaginta Episcoporum anno quinti sæculi 94. Romæ habito non solum libros omnes accurate recensuit, quos in Canonem sacrarum Scripturarum recipi, quosve indidem expungi oporteret, sed præterea e veterum libris quamplurima nominatim persequens alia quidem digna, alia vero indigna esse judicavit, quibus auctoritas & fides tribueretur; &, quod præcipue ad rem nostram pertinet, nonnullas divorum historias reprobavit, aut certe vetuit in publicis Christianorum conventibus legi, quod essent vel ab hæreticis scriptæ, vel inanibus & commentitiis rebus conspersæ, vel sine certo auctoris nomine prolatæ. Gelasiani decreti particulam huic loco inserere pretium operæ visum est, ut vel hinc perspici possit quantam in hujusmodi historiis examinandis, probandisque curam, ac diligentiam majores nostri adhiberent. *Secundum auctoritatem antiquam vel consuetudinem singulari cautela in Romana Ecclesia non leguntur* (gesta quorumdam Martyrum) *quia eorum, qui scripsere, nomina penitus ignorantur; & ab infidelibus, aut minus apte, quam rei ordo ferat, scripta esse putantur; sicut cujusdam Quirici & Julittæ matris ejus, sicut Georgii aliorumque passiones hujusmodi, quæ ab hæreticis probantur conscriptæ: propter quod ut dictum est ne vel levius subsannandi vite-*

tetur occasio, in Sancta Romana Ecclesia non leguntur. Huc adde (25) Canonem 63. Trullanæ Synodi Constantinopoli habitæ, exeunte sæculo septimo, quo commentitiæ Martyrum historiæ comburi jubentur: *Quæ a veritatis hostibus falso conficta sunt Martyrum historiæ, ut Dei martyres ignominia afficerent, & qui eas audituri essent ad infidelitatem deducerent, in Ecclesia publicare non debemus, sed igni tradere. Qui eas autem admittunt, vel tamquam veris iis mentem adhibent, anathematizamus*: Actionem quintam (26) septimæ œcumenicæ Synodi, qua conficti ab hæreticis libri, suppositique Apostolis proscribuntur: *Justum arbitrati sumus omnem eorum denudare impietatem, & publicare patenter errorem: quoniam & libros quosdam proponunt, præscriptiones habentes Apostolorum, per quos simplices decipiunt*: Canonem 42. Concilii Francofordiensis coacti anno 94. octavi sæculi, quo cautum est, ne cui publici cultus & honores adhibeantur, cujus sanctitas gravissimis non esset certissimisque monumentis probata: *Nulli novi sancti colantur, nec memoriæ eorum per vias erigantur; sed hi soli in Ecclesia venerandi sunt, qui ex auctoritate passionum, & vitæ merito electi sunt*. Sexcenta sunt hujusmodi, quæ proferam, si sit otium: sed vel hæc satis superque ostendent audiendos non esse, qui veteres in eo reprehendunt, quod investigandæ veritatis ignari, criticæque artis intelligentia ad præcavendum, recteque judicandum destituti promiscue omnia seu vera seu falsa in Ecclesiasticam historiam, ac divorum fastos receperint.

His igitur argumentis cum se Critici urgeri premique sentiant, & ab iniqua primorum Ecclesiæ sæcu-

culorum accusatione depelli, in ea, quæ deinceps consecuta sunt, tempora actionem instituunt, & hoc vehementius rem urgent, quod e quadam barbarie, communique illorum temporum inscitia probabilem sane criminandi caussam, uberemque materiam nacti sibi esse videntur. Nam, ut inquiunt isti, inter nonum & decimum sextum Ecclesiæ seculum quidquid temporis interfluxerit, id omne feda quædam morum pariter, bonarumque artium depravatio late occupavit: quippe ad initium decimi sæculi hanc morum corruptelam, & quemdam quasi litterarum interitum ferme referunt. Hinc magna rerum omnium ignoratio & confusio, optimarumque disciplinarum & ingeniorum depravatio; hinc quidlibet audendi, fingendique impunitas, ac licentia, exiguum veri & falsi discrimen; hinc falsæ opiniones, erroresque populares, & superstitiones pene aniles; hinc denique colluvies illa librorum inanium ac futilium, quorum auctores in id conspirasse videntur, ut temporum suorum inscitia & credulitate abuterentur, partim imprudentia & ingenii levitate, partim malitia & decipiendi studio adducti, cum fabulas pro historiis, monstra pro miraculis ubique obtrudant, in eoque potissimum laborent, non ut vera scribant, sed ut mira quædam, & prodigialia ad oblectandam scilicet, capiendamque ineruditam plebeculam divorum fastis, reliquiis, miraculis affingant. Ita rerum memoria falsis & commentitiis narrationibus viriata, perturbatis temporum ordinibus, confusis locis ac personis, mira quædam obscuritas universam Ecclesiæ historiam pervasit. Nec vero ante discussa est illa caligo, quam decimo sexto ineunte sæculo graves & cor-

cordati viri lumen ingenii ac sapientiæ suæ in medium afferrent, & res divorum vere gestas a fictis fabulis immanibusque portentis, hoc est lucem a tenebris segregarent.

Hæc illi de Scriptoribus ætatis fere mediæ contumeliosius (27), quam verius. Fuerunt sane temporibus illis pessimi quidam & male feriati homines, qui vel de industria divorum actis fictas narrationes intexerent, atque historiæ nomen commentis fabulisque prætenderent; & quidem nulla ætas fuit, quæ non aliqua hujusmodi prodigia ac pestes historiæ protulerit; sed videant porro ne iniquum sit paucorum flagitia in omnes ejusdem sæculi homines conferre. Do atque concedo passim jacuisse per ea tempora bonas artes, ac politiores litteras barbarie situque oblitas; ex quo effectum est, ut Scriptores illi aspero quodam & incompto dicendi genere uterentur. Sed nihil est, cur veritas rerum cum orationis barbarie conjungi nequeat; nec si omnem sermonis elegantiam neglexerunt, sequitur illico eos in eligendis item dijudicandisque rebus dissolutos ac negligentes fuisse; fieri enim potest, ut quis vera scribat, & ea, quæ scribit, polite eloqui non possit; quin immo quo cuique minus est verborum, eo major rerum cura & delectus esse solet. Nec inficias eo ad illa potissimum secula referendos esse Scriptores illos, qui divorum historias addendo aliquid vel demendo vel mutando interpolaverint, eisdemque temporum notas, & locorum ac rerum descriptiones sæpe falsas, plerumque ineptas intexuerint. At ejusmodi interpolationes in iis ferme rebus versantur, quæ sive adsint, sive desint, nihil afferunt, vel de-

tra-

trahunt, quominus historiæ summa vera sit, & propemodum integra atque illæsa permaneat; neque vero siquid falsi permistum est, continuo universam historiam rejici aut in dubium revocari oportet. At Divorum historiæ ætate illa ferrea conscriptæ tot ac tantis prodigiis refertæ sunt, ut, qui eisdem fidem adhibeat, eum bene & naviter credulum esse oporteat; in illis enim miraculorum monstra sæpius, quam vera miracula legas. Ut ingenue fatear quod sentio, id mihi nunc, quod sæpe alias, venit in mentem vereri, ne Critici nostri hanc unam regulam, ad quam omnia eorum judicia dirigantur, apud se valere decreverint, ut quidquid suo palato minus arridet, id statim rejiciant, atque omissis rationibus, & auctoritatibus suo quodam sensu animique affectione omnia dijudicent. Nimium vero quantum isti a miraculis abhorreant, argumento est quod acta Martyrum ad hanc ferme legem exigi præcipiunt, ut, quo quæque minus continent miraculorum, eo plus fidei habeant & auctoritatis. Vellem aliquid caussæ subjicerent, cur sibi non probentur, atque adeo videantur incredibilia, quæ præter morem, præterque naturæ institutum divinitus facta esse narrantur; nam si nihil caussæ afferunt, satis profecto declarant, se in hujusmodi rebus impetu quodam animi potius, quam consilio & ratione ad judicandum duci. An quod suis ingeniolis longe minimis assequi nequeunt, id divinæ potestatis modum excedit? perinde quasi necesse sit infinitam Numinis potentiam in eas angustias compellere, quibus humanæ vis intelligentiæ circumscribitur. Minime gentium, inquies. Nemo tam impius sit, quin fateatur plus a Deo effici posse,

quam quantum a nobis aut verbis exprimi, aut cogitatione effingi poteſt. Sed quæris unde conſtet a Deo facta eſſe, quæ commemorantur? unde tibi conſtat non eſſe facta? Habeo auctores, qui affirmant: profer, ſi quos habes, qui negent. Si profers, alter cum altero conferatur, & uter utri auctoritate præſtet, videamus. Si nullum habes, vide ne temerarium ſit, quod auctoris ſatis idonei teſtimonio comprobatum eſt, id ſine ulla ratione & pro tuo arbitratu inficiari. Huc illud adjicere juvat, quod propterea ægre admodum adduci poſſumus, ut miraculis ac prodigiis fidem adhibeamus, quia Dei potentiam, ac bonitatem, quam ceteroquin mirabilem eſſe in Sanctis ſuis fateamur neceſſe eſt, non ipſius viribus, ſed noſtra imbecillitate, noſtroque ſenſu metimur.

Urgent tamen, & de ſuſcepta illorum temporum accuſatione nihil remittunt; negant enim fieri potuiſſe, ut in tanta bonarum artium jactura, rerumque omnium ignoratione quidquam loci Criticæ ſupereſſet; id mordicus tenent, in eo maxime perſtant. Numquid igitur temporibus illis nulli erant pii, & docti viri, qui ceteris in ea rerum ac temporum caligine cęcutientibus clariſſimum lumen præferrent, & vulgi fabulis pervagatiſque rumoribus veras & graves Divorum hiſtorias opponerent (28)? An ignotum eſſe cuiquam poteſt, quanta vel ſæculis illis eruditione, doctrina, ſanctitate floruerint Monachorum Ordines, ceteræque religioſorum hominum familiæ? nullæ igitur apud eos litteræ, nulla fides, nullus veritatis amor, nulla denique via ratioque erat, qua veraces hiſtorias a fallacibus diſtinguere atque inter-

ternoſcere poſſent? Satis conſtat, quemadmodum præclare docet Joannes Bollandus, præſtantiſſimos quoſque ex Ordine Monaſtico ad cetera eximia ſtudia illud quoque adjeciſſe, ut Sanctorum res geſtas quam diligentiſſime deſcriberent, & nullum ferme Monachorum cœtum fuiſſe, quin ejuſmodi codices, ſuum quiſque, & ſibi peculiariter deſcriptum aſſervarent, unde religioſæ ſanctitatis vitæque exempla peterentur; idque ex eo conſtat, quod ferme non aliunde, quam e veterum Cœnobiorum Bibliothecis probatiſſima quæque Divorum acta proferantur. In hujuſmodi porro homines graves in primis ac prudentes, qui, omni ceterarum rerum cura depoſita, ab ipſa propemodum pueritia ſe totos ad pietatis & doctrinæ ſtudia contulerant, nulla vel fallaciæ, vel inſcitiæ, vel nimiæ credulitatis ſuſpicio cadit; de quibus ſic exiſtimari æquum eſt, eos ita religione & bonis artibus inſtitutos fuiſſe, ut omnia ad veritatis & prudentiæ normam exigerent, neque fabulas pro hiſtoriis venditarent, neque prius lecta auditaque litteris conſignarent, quam ea prudenti accuratoque judicio expenderent, ac ſeligerent. Præclaram in ea re operam navarunt, ut ceteros omittam, duo Monachi Fuldenſes vel eruditione vel ſanctimonia inſignes (29), teſte Georgio Wicelio, quorum alter fuit Ruggerus, *qui ut pietate ac doctrina præſtantiſſimus*, ut is auctor tradit, *ſex ingentia volumina* compoſuit anno fere quinquageſimo ſexto undecimi ſæculi; alter fuit Arnodulphus *Cœnobita facundiſſimus*, *qui ante Ruggerum hunc diligentiſſimum ſcriptorem*, inquit idem Wicelius, *ſudarat in eodem lucubrandi ſtudio*.

Nihilo ſegnius in emendationem veterum codicum in-

incubuit Monachorum industria ; quod magno argumento est, Monachos ea tempestate fuisse & habitos esse Criticos in primis bonos. (30) Lanfrancus ex præclara S. Benedicti familia is, qui vergente undecimo sæculo Cantuariensem Pontificatum gessit, in id plurimum curæ operæque contulit, ut veteris ac novi Testamenti, ac Sanctorum Patrum libros ab erroribus & mendis expurgaret, quæ scriptorum incuria vel inscitia invexerat. (31) S. Stephanus tertius Cœnobii Cisterciensis Abbas sacra Biblia per suos Monachos ad normam Hebraici Codicis restituenda & corrigenda curavit, quorum exempla Cistercii hodieque servantur. Ineunte duodecimo sæculo Archiepiscopus quidam Lugdunensis, cujus nomen memoria excidit, cum historiam de vita & cruciatibus Christi Domini multis mendis inquinatam atque oblitam, quam fieri posset, emendatissimam edi cuperet, ad id Monachos Cistercienses adhibuit, qui nequid in ea re diligentiæ curæque prætermitterent, Cluniacenses & Lugdunenses Monachos consulendos putarunt, eosdemque socios & consortes egregii laboris sibi adsciverunt. Multa hujuscemodi exempla suppeditat Joannes Mabillonius Tract. de Studiis Monast. part. 1. cap. 9. & seq. unde cognosci licet quantopere singulis ætatibus bonæ artes Criticæque studia apud Monachos viguerint.

Hæc si paullo attentius reputarent Critici, ne illi cautius & parcius de Monachorum studiis, optimisque disciplinis detraherent : nam Monachos potissimum designant, quorum inscitiæ ac vecordiæ litterarum depravationem jacturamque acceptam referunt, &, quod gravissimum est, illos unos fuisse contendunt

dunt fabularum omnium architectos, veterumque tabularum depravatores, eorumque Cœnobia falsorum Chirographorum officinas appellant. Quæ cum temere & nulla ratione nulloque auctore satis idoneo in vulgus jactitent, jure meritoque in gravissimas prudentum virorum reprehensiones incurrunt. *Adeone*, inquit Mabillonius lib. 3. de re diplom. cap. 3. ; *absque ullo veterum testimonio id in totius Ordinis Monastici probrum affirmare libet? Næ illa tam atrox accusatio non caret præcipiti censura*. Melchior Canus haud leviori censura Monachorum obtrectatores perstringit lib. 2. de loc. Theol. cap. 5. in resp. ad 13. argum. *Atqui irridere Episcopos &c. in Monachorum imperitiam insultare, quasi fabulas hujusmodi ventris gratia rudi vulgo inferant, & intrudant, hæc non puto equidem hominis ingenui esse, qui ad bonitatem fuerit a natura compositus, nedum ejus, quem Christus simplicem sicut columbam ad legem Evangelii formaverit*. Ab hujusmodi calumnia universum Monachorum ordinem egregie vindicarunt Joannes Mabillonius, itemque Martianæus, qui gravissimis argumentis omnes hujuscemodi accusationes diluere, ut neque illi nostra defensione indigeant, neque nobis necesse sit in hac re diutius immorari. Illud unum Criticos admoneo, ut secum ipsi reputent, quantum vel sacra vel profana Antiquitas Monachorum industriæ ac sollertiæ debeat; quippe qui ab incendiis, direptionibus ac temporum injuria sartum tectumque servaverint, quidquid veterum codicum ac monumentorum ad nostram ætatem nostrasque manus pervenit.

Ad hæc, (32) numquid sexcentos illos totos annos Ecclesiæ Pastores dormitarunt, cum vel acerrima

ma vigilantia opus esset ad detegendas cavendasque fraudes improborum hominum, qui, tamquam si offusa Ecclesiæ sempiterna nox esset, ut comminiscuntur Critici, ita ruebant in tenebris, omnia miscebant, & falsis Divorum historiis dissemiuandis imperitæ plebeculæ credulitati insidias moliebantur? nulli igitur erant, qui pro suo munere atque officio in hujusmodi falsarios inquirerent, & animadverterent? nulli qui in Ecclesiæ propugnaculis atque speculis excubias agerent, nequa vanitas vel superstitio Christianæ religioni ac pietati subreperet? nulli erant, qui commissum sibi gregem ab exitialibus sive inutilibus pascuis arcerent? quin immo affirmare licet, nihilo remissiorem per ea sæcula, quam superioribus & consecutis deinde temporibus fuisse Episcoporum vigilantiam ac diligentiam in id vel maxime intentam, nequa superstitione imbuerentur Christianorum animi, neve labes ulla sinceræ doctrinæ, veræque religioni e vulgarium rumorum fæce adhæresceret. Quam multos e singulis illis ætatibus nominatim proferre possum Episcopos, quos ob singularem vigilantiam, & populis sibi concreditis navatam operam in Cœlitum numerum Ecclesia retulit, quique insignem doctrinam ac prudentiam cum eximia sanctitate conjunxerunt? Quam multas aras per eadem sæcula eversas esse constat, quas inconsulta & temeraria vulgi credulitas falsis martyribus exstruxerat? quam multas consuetudines abrogatas, quas popularis levitas aut superstitio invexerat? quam multas reliquias vel igne abolitas, vel publicæ venerationi subductas, quod eas Episcopi vel suspectas haberent, vel supposititias esse certis indiciis comperissent?

fent ? Præterea nemo ignorat , & plurima & longe celeberrima temporibus illis coacta fuiffe Concilia feu Provincialia five Oecumenica , in quibus cum graviffimis de rebus difceptatum fuit , tum etiam faluberrimis decretis cautum eft , nequid falfi aut fuperftitiofi in Divorum hiftorias cultumque irreperet ? Multos canones in hanc fententiam fapientiffime conftitutos prætereo . Huc pertinet Decretum Concilii Romani, quod (33) Zacharias Pontifex anno octavi fæculi quadragefimo quinto convocavit ; ex quo uno de ceteris iftiufmodi fynodicis fanctionibus conjecturam fieri velim. Hujus Concilii Patres Actione III. graviffimis notis inurunt facrilegas quafdam preces , cultufque profanos Urieli adhibitos , & aliis nefcio quibus commentitiis Angelis, quos Clemens & Adalbertus rudi plebeculæ obtruferant , eofque in cœleftium Spirituum numero venerandos effe prædicabant. Quid quod illis ipfis temporibus cum infcitia, focordia, barbaries , & fœda quædam humani judicii depravatio , ut Critici dictitant , longe lateque dominabatur, majori cura & diligentia cœptum eft in eorum acta , virtutes , miracula, inquiri, quos Divorum nomine cultuque donari oporteret ? Nam ritus publicæ ac follemnis apotheofis, quam vulgo *Canonizationem* vocant , tum primum inftitutus eft , conftanterque ufurpari cœpit , cum Alexander tertius , qui anno 1159. Romanum Pontificatum iniit , edicto fanxit , nequis in pofterum *Sancti* titulo , cultuve publico afficeretur , quin ab ipfo Romano Pontifice poft adhibitam ab eo pie ac præclare geftarum rerum inveftigationem follemni ritu ac cærimonia confecraretur. Quamvis enim IX. fæculo ineunte S. Suitbertum

tum Leo III. & post annos amplius trecentos Hugonem Gratianopolitanum Episcopum Innocentius II. Divorum fastis adscripserint, nulla tamen tum lege vetitum fuisse invenio, quominus liceret eos in Sanctorum numero haberi, quos Episcopi vel Diœcesanæ Synodi publico cultu ac veneratione dignos esse judicarent. Duo igitur sapientissime constituit (34) Alexander. III., quæ deinde Innocentius III. confirmavit: primum ut Divos consecrare, præterquam Romano Pontifici, liceret nemini; alterum ut antequam sollemnes honores cuique decernerentur, quam diligentissima inquisitio fieret cum de vita ejus & moribus, deque rebus omnibus ab eo ad hominum salutem, & exemplum laudabiliter gestis, tum vero de iis, quæ divinitus ille & vivus patravit, & mortuus. Alexandri deinde auctoritas & institutum apud posteros valuit; quin immo aliæ ex aliis deinceps leges cautionesque adjectæ sunt, nequis fraudi vel errori locus esse posset; tamque lente ac prope fastidiose res hæc peragitur, quamplurimis & quæstionibus habitis, & testibus jurejurando adactis, & viris sapientissimis in consultatione adhibitis, ut, si forte dubium esset, hominum ne judicio, an divino numine Sanctorum hominum Apotheosis decerneretur, tamen de illorum sanctitate tam testata explorataque addubitare non posset, nisi qui ex hominum genere humanam fidem funditus eximere vellet.

Ex hisce liquido constare arbitror nihil curæ ac diligentiæ prætermissum fuisse a majoribus nostris in illis rebus investigandis probandisque, quæ ad religionem quoquo modo referuntur, eos vero inique facere, qui universæ Antiquitati incuriam, rerum igno-

ignorationem, judicii levitatem, ac demum artis criticæ inſcitiam objiciunt. Neque is ego ſum, qui omnia Antiquitati concedenda prædicem, quaſi Antiquis nuſquam falli aut errare contigerit; quod majus quiddam eſt, quam quantum humana imbecillitas præſtare poſſit. Sed in eo ſapientiſſimi viri jure meritoque Criticos reprehendunt, quod ad elevandam totius Antiquitatis auctoritatem vagis quibuſdam iiſdemque falſis, atque adeo injurioſis accuſationibus abutantur; quidquid non probant, vel ſuis opinionibus adverſatur, id temere & nulla ratione rejiciunt, neque quidquam cauſſæ afferunt, cur a majoribus diſſentiant, niſi quod illi omnem Criticæ artis vim uſumque penitus ignoraverint. Nobis vero certum ac deliberatum ſit majorum veſtigiis, quoad ejus fieri poſſit, ubique inſiſtere; neque ſiquid a quopiam erratum eſt, iccirco veteres omnes in eadem negligentiæ, & inſcitiæ ſuſpicione ponendi; neque vulgari illa, communique accuſatione in univerſam Antiquitatem criticæ artis ignoratæ crimen intendere liceat, atque impune majorum placita ac decreta ad noſtrum arbitrium revocare: ſiqua in re ab illis diſſentiendum ſit, & cur id fiat, graviſſimas rationes ſubjiciamus, tanta in diſſentiendo reverentia, ut nihil de ſacræ Antiquitatis fide & auctoritate per nos detractum eſſe videatur.

F NO-

NOTATIONES

JACOBI COLETI.

(1) HOc vehementer doluit etiam Joannes Mabillonius Criticorum sane princeps sapientissimus, qui in Tractatu de Studiis Monast. Tom. 2. cap. 13. hæc scribit: *Nihil nostra hac tempestate celebrius, quam aliorum censuræ vacare; idque universim adeo invaluit, ut vel ipsis mulierculis hanc artem profiteri sit nihil antiquius ..... temerario ausu materias suapte sponte definiunt sine prævio earum examine ...... etiam in iis quæ spectant ad orthodoxæ fidei dogmata; super his enim arbitrario plura identidem asserunt majori sane fiducia, quam si eadem Oecumenicum enunciaret Concilium.*

(2) Hac de re egregie Tertullianus in lib. IV. contra Marc. *Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio et præscribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur:* nam, *reipsa multum roboris ad auctoritatem addit Antiquitas*, inquit Facundus Hermianensis cap. VI. lib. VII. & D. Bernardus in epist. ad Canonicos Lugdunenses: *Numquid Patribus doctiores & devotiores sumus? Periculose præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Nec vero id tale est, quod nisi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omnino diligentiam præterisse.* Sane & Bernardi ætate, & ea Cassiodori multo vetustiore hujusmodi erant homines, *qui putant esse laudabile, siquid contra antiquos sapiunt, & aliquid novi, unde periti videantur, inveniant*; scribit ipse Cassiodorus in lib. de Divinis litter. cap. XI. Unde intelligas, Criticæ artis scientiam, & usum, immo abusum haud novum esse sæc. XV. inventum.

(3) Hadrianus Bailletus Vitas Sanctorum descripsit, ediditque Parisiis an. 1701. cujus de vetustis Martyrum Actis, & Divorum Historiis opinio multo impudentius videtur ab eodem prolata, quod, cum Hollandiæ historiam

riam ab anno 1609. ad suam usque ætatem confecerit, resque tum regionum, tum temporum propinquitate adeo sibi proxime gestas enarraverit, pluries turpissime erravit. Ceterum quam falso, quam calumniose ita senserit Bailletus, facile ex Ruinartio cognosces in egregio opere de sinceris Martyrum Actis, ex Antuerpiensibus Hagiographis, ex Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti; & licet minus accurati quandoque fuerint plures, qui Divorum nostrorum gesta posteris tradidere, *nihil* tamen, *nisi difficillime credere* æque vitium est, ac *singulis facillime assentiri*, ait Mabillonius in Tom. 1. Operis laudati cap. 8.

(4) Si ita, igitur & Hieronymo, & Theodoreto, & Palladio, & Gregorio Turonensi, tum Pontio, qui Cypriani Martyrium, & Paullino, qui Ambrosii vitam scriptis mandarunt, hisce, inquam, qui de rebus vel a se visis, vel sua ætate, vel unum alterumve ante sæculum gestis scripsere, quique morum integritate, doctrina, & eruditione florebant mentiri ac fallere nescii, minor habenda fides, quam nostris hominibus, qui ab illis Ecclesiæ historiam didicere post tot intervalla sæculorum; & quis sanus credat, idonea magis monumenta ad res suorum temporum discernendas, & judicandas iis defuisse, quæ ætatis nostræ Scriptoribus abunde suppetant? Quænam hæc Criticæ artis peritia? *Ex iis, quæ dicenda sunt, aliqua ipse vidi: quæ autem non vidi, ab iis audivi, qui viderant, viris virtutis amatoribus, dignisque habitis, qui illos viderent, & eorum doctrina fruerentur &c. De his autem ideo pluribus verbis disserui, ut me vera narraturum persuaderem*. Theodoret. in præfat. Hist. Religios.

(5) De hoc inter Criticos celeberrimo viro hæc nuperrime legi in Tom. IV. libri Gallico sermone compositi, cui titulus *Europe savante*, *Europa sapiens*, ubi de censura *Bibliothecæ Auctorum Ecclesiasticorum*, *qui a Romana communione sejuncti sunt*, ab eodem Dupino Gallice scriptæ: *Eadem semper inest* (illi) *scribendi velocitas, eadem styli levitas, sensuum moderatio eadem, & judicandi sagacitas, eadem in rerum quæstionibus præceps inquisitio, in*

iis enarrandis indiligentia eadem . Idem semper ipse est Dupinus ; quod sane judicium omnibus ejus scriptis peræque convenit : ceterum quomodo præcipitem rerum inquisitionem cum recto earundem judicio componas ? *ut enim crisis aliqua legitima sit , ac recta , eædem fere in ipsa præcautiones sunt habendæ , ac in ferendo judicio ,* ait Mabillonius in laud. Tom. 2. cap. 13. Nihil iccirco mirum , si plures in Gallia viri doctissimi Dupinum erroris ac falsitatis gravissime arguerint , quibus suos libros passim inspersit ; ut ea , quæ ad religionem spectant , silentio prætercam . Nam quod ad Sybillina oracula , eadem est Blondelli , ac Gallæi cum Dupino sententia ; quid vero est , *in Criticis rebus a communi veterum sententia recedere*, nisi veteres omnes cujusdam veluti stupiditatis insimulare ? cum Gallæus ipse recte quidem pro sua sententia , qua Sybillas olim extitisse probat , at multo rectius pro debita antiquis Scriptoribus reverentia pronunciaverit : *Maximæ Antiquitatis parti, & Historiæ contradicere hoc non adeo temere faciendum sine necessitate summa.*

(6) De Pimandro , & Asclepio , quibus nominibus inscribuntur duo Trismegisti libri , non est hujusce loci inquirere : videat , siquis Trismegisti , & ejus librorum historiam nosse cupit , Bibliothecam Græcam Fabricii . Hosce libros a Christianis confictos autumant nonnulli ; sed mirari lubet , quomodo veteres Patres , qui tot false confictos libros probe dignoscere , & inter apocrypha rejicere potuerunt , tum Pimandri , tum Carminum Sybillinorum falsitatem minime agnoverint ; præsertim , cum eorum auctoritate adversus Gentiles uterentur ; & sine libri nobis genuini supersunt, qui præ illorum manibus erant ? Re tamen vera Criticorum nostrorum mens , & ingenium plane patet , quale a Farlato describitur : ut suam tueatur opinionem Natalis , illorum Patrum auctoritatem, ac testimonia omnino contemnit ; Colomesius autem in notis apud Cotelerium subjectis Epist. 1. Clementis P. ad Corinth. , ut hujus de ave Phœnice reviviscente testimonium confirmet , *Malo*, inquit , *cum Clemente nostro viro Apostolico, Tertulliano, Origene, Cy-*

Cyrillo Hierosol. Eusebio, Nazianzeno, Epiphanio, Synesio, Hieronymo, Ambrosio, Lactantio, Plinio, Seneca, Mela, Solino, Philostrato, Libanio, & aliis errare, quam Maximum, & ejus sequacium opinionem sequi, qui τὴν παντοκρατορικὴν τοῦ δημιουργοῦ δύναμιν rationis humanæ imbecillitate metiuntur, & ancillantis naturæ legibus naturæ dominum circumscribunt : Colometio Fellus consentit vir apprime eruditus in iisdem notis, & Photium arguit, quod *pro irritabili Criticorum indole* de Phœnice narrationem vitio verterit Clementi. Quid igitur hoc aliud est, quam pro suo quemque lubitu Antiquitatis auctoritatem sibi vindicare; quod a nativa Criticæ artis indole quam maxime abhorret.

(7) *Quod per universæ Ecclesiæ statuta firmatum est, vel unius Episcopi auctoritati, vel unius provinciæ Concilio præferendum est . . . . quis nesciat . . . . Ipsa plenaria sæpe priora posterioribus emendari*; docet etiam Augustinus in lib. 2. de Bapt. contra Donat. cap. 3. quin id Criticis nostris solum conveniat: at quam ob caussam? nimirum ut *aperiatur, quod clausum erat, & cognoscatur quod latebat*: at quomodo? *sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum caritate Christiana*. Interea Patres Concilii VII. Oecumenici & Nicæni II. tum Constantinopolitani IV. Oecumenici VIII. aperte docent illi quidem actione tertia, hi canone primo *regulas & canonicas constitutiones ab Orthodoxorum universalibus, necnon & localibus Conciliis traditas* sancte esse servandas: Nicænum celebratum fuit an. 87. sæc. VIII. Constantinopolitanum anno 69. sæc. IX. Siquid autem juris Criticis istis in Concilia VIII. sæculo posteriora tribuendum esset, illud erit fortasse, quo Codices, in quibus describuntur, emendent, aut rerum quarundam historicarum narrationem minus diligentem corrigant; aut tempus, quo coacta fuerint, tuto definiant aut etiam fictos a genuinis Canones distinguant, & suis quosque locis restituant; in ceteris periculosius est errare, quam certam eorum auctoritatem, & testimonia alicujus erroris redarguere:

vi-

vide, quæ in hanc rem differit Auctor de Studio Conciliorum in Tract. edito Parisiis anno 1724.

(8) Equidem si de corrigendis sacris libris solummodo Simon loqueretur, vel impudentissima foret ejus sententia; quid Origenes, quid Hieronymus hac in opera præstitere, quibus Hebræorum præsertim Codicum subsidiis fuerint adjuti, quanta vero ingenii vi, quanto judicii acumine laboraverint; tum sæculo VIII. quantopere in eandem curam incubuerit Alcuinus vir Græcis, & latinis litteris valde eruditus ejusque collegæ, ut Caroli Magni jussu sacros libros mendis abstergerent; hæc satis Simonis audaciam, & arrogantiam ostendunt. Equidem cæco quodam modo *sequi majores per omnia est nos nostro privare judicio & ingenio*, ait Canus lib. 7. de locis Theol. cap. 3. at majores ipsos suo demum privare & judicio & ingenio summæ est impudentiæ genus, & certum ignorantiæ indicium: nam *eruditio timorem creat*, *imperitia confidentiam*, uti est Græcorum vetus effatum.

(9) Et hinc illud tandem sequi necesse est; quod, cum scientiæ omnes tum sacræ, tum profanæ sint Criticæ artis subjectum, omnes omnino veteres Scriptores sive sacri, sive profani inter ignorantiæ tenebras adeo delituerint, ut eorum auctoritas aut nihili, aut minimi sit facienda: quod nimirum vellent, nova hæc litterarum columina, hi nostrorum temporum Aristarchi, qui de universis Scriptoribus sententiam ferunt, ut Ecclesiæ historiam perturbent, ut certiora Divorum, summorumque virorum gesta in dubium revocent, ut argumentorum vim, quibus probantur, imminuant, infringant; dum ipsi suis inter sese cogitationibus miserrime evanescunt.

(10) Hoc Criticorum inter se ipsos, & adversus dissidium, quo acriter decertant, nota quædam est haud dubia, eosdem non de veritate inquirenda, quod sapientis Critici munus est, sed de suis tantummodo opinionibus tutandis sollicitos esse. Innumera sunt dissidiorum inter Criticos nostros exempla: de ipsa, qua Critica ars floruit, qua defecit, ætate incertæ sunt, &

va-

variæ illorum opiniones; defecisse putant nonnulli paullo post sextum Ecclesiæ sæculum; stetisse ajunt alii ad sæculum usque octavum; alii tamen &, qui ante sæculum sextum claruerunt, Scriptores omnium disciplinarum genere illustres suæ subjiciunt censuræ: ideo, ut Hilarii Pictaviensis utar verbis in lib. 1. ad Constantium: *Dum in verbis pugna est, dum in novitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de Auctoribus querela est, dum de studiis certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse cœpit, prope jam nemo Christi est; incerto namque doctrinarum vento vagamur, & aut dum docemus perturbamus, aut dum docemur erramus.*

(11) Haud pauci sunt inter Criticos, quos hac nota reprehendas. Launojus vir liberrimi quam qui maxime in Criticis rebus ingenii hoc vitio laborat; idque illi exprobrat Hadrianus Valesius in sua *defensione Disceptat. de Basilicis*: cum enim Launojus in *Inquisitione in Chartam immunitatis monasterii S. Germani in moment.* IV. Childeberti regis Epitaphium pro sua sententia attulisset ex lib. 2. Aimoini cap. 29. deinde in §. 1. *Inquisitionis* ejusdem Epitaphium illud veluti *insititium*, ac Aimoino falso attributum respuit: *ergone*, subdit Valesius, *quæ pro falsis & supposititiis habes, his uteris cum tibi expedit? ergone tu qui veritatem te quærere dictitas, eam in falso & adulterino quæris? quæ tua fides est? sic te nobis illusurum putas?*

(12) Optima omnium definitio, si Criticam spectes, uti latissime patet. P. Honoratus a S. Maria in libro, cui titulus *Animadversiones in regulas, & usum Critices*, hanc definitionem illi Arti attribuit; *Ars est judicandi de gestis Historicis, de Operibus, quæ mentis operationes exercent, de lectionibus diversis, de sensu, de stylo, de Auctoribus eorum*: quam proinde nonnulli reprehendunt, quia nec Operis titulo, nec Critices naturæ est consentanea: aptius enim dixisset: *Ars est judicandi de rebus Historicis, de monumentis, de libris, & eorum Auctoribus*; vel si illam spectes, uti circa peculiare quodpiam subjectum versatur; *Ars est judicandi de historicis*

ftoricarum rerum veritate, *de auctoritate veterum Monumentorum*, *de Codicibus*, *de Traditionibus*, *de Libris*, *eorumque Auctoribus*, *qua & obscura illustrantur*, *& emendantur corrupta*: quæ omnia ad Historiæ Criticam pertinent. Quamvis nec Mabillonius videatur rectam hujusce Artis definitionem proposuisse in part. 2. cap. 13. operis jam laudati: ait enim; *Scientia est conjecturalis, docens modum recte judicandi de quibusdam operibus*, *præsertim Auctorum*, *eorumque scriptis*: aliquando enim, non conjectura solum, sed certis adducti argumentis judicamus, neque de quibusdam tantum Operibus, sed de omnibus, in quibus Criticam exercere oporteat.

(13) Præter ea, quæ de regulis Criticæ brevi complectitur Farlatus, animadvertendum est cum Mabillonio, in Criticæ Artis usu *præcautiones easdem habendas esse*, *quæ in ferendo judicio*; iccirco quatuor regulas ipse proponit, quas in quibusque rerum humanarum judiciis ipsa quodammodo natura præcipit servandas, quasque propterea cuique tempori, & hominibus quibuscumque communes esse oportet in statuendis sive de civilibus, sive de capitalibus actionibus, tum de quavis re litteraria judiciis. *Oportet* enim, ait Mabillonius, 1. *rem*, *de qua Judicium fieri debet*, *Judici competentem esse*. 2. *Quod Judex*, *curam omnem studiumque impendat*, *ut punctum*, *quod controvertitur*, *examussim intelligat*. 3. *Quod non ferat sententiam*, *nisi convincentibus urgeatur rationibus*. 4. *Denique quod sit indifferens*, *& non opinionum acceptor*. Igitur si recta judicii ratio id postulat, si Antiquis in rebus ceteris deneganda non est, cur iisdem denegatur in iis, quæ ad scientias, atque disciplinas, & ad Historiam præcipue spectant? de qua, illiusque Scriptoribus quomodo sit judicandum, vide Melchiorem Canum lib. XI. de locis Theol. cap. VI. & Mabillonium in loc. sæpe laud.

(14) Hoc ipsum ex Cassiodoro superius animadvertimus; & Vincentii Lirinensis dictum hic inseri potest ad novitatis cujuslibet reprehensionem ex cap. VI. Commonit. ubi Paulli Apostoli verba explicat: *O Timothee*, *depositum custodi*, *devitans profanas vocum novitates*. *De-*

vita,

vita, *inquit*, *profanas vocum novitates; non dixit antiquitates, non dixit vetustates, immo plane quod e contrario sequeretur, ostendit. Nam si vitanda est novitas, tenenda est antiquitas.*

(15) Ut hujus loci veritas comprobetur, lubet integrum testimonium piissimi, ac doctissimi viri Joannis Gersonis hic describere ex opere, cui titulus, *Declaratio veritatum &c.* edito in Tom. I. Opp. omnium pag. 22. *In sexto gradu*, inquit, veritatum, quæ Christianis hominibus proponuntur, sunt *veritates illæ, quæ tantummodo faciunt ad nutriendam vel fovendam devotionem religiosamque pietatem, quæ scilicet magis inducunt ad inflammandum affectum, quam ad instruendum intellectum ..... Propterea sapientissime dixit Hieronymus, quod de talibus eligibilius est pie dubitare, quam temere definire .... Respicit autem iste gradus legendas & miracula Sanctorum ..... & opiniones sacrorum Doctorum ...... quæ omnia suscipit Ecclesia, & legi permittit .... quia proficiunt ad commovendos affectus pios fidelium & in ædificationem ipsorum; dum in talibus nihil de certitudine scitur esse falsum, quamvis etiam nesciatur, illud certitudinaliter esse verum.* Hæc vir doctrina, judicio, ac prudentia vere summus; e quibus intelligas, & veritatem quidem esse in harum rerum narratione quærendam; sed, *dum falsitas, vel veritas ignota est, non est periculosum vel falsum, quod pia credulitas tantummodo cadat super probabilitate*; inquit idem Auctor: de quo veteres illi maxime satagebant, ut & gestorum, quæ narrabant, veritatem assequerentur, aut saltem prudentum judicio veluti probabilia persuaderent, ubi certa deerat monumentorum auctoritas.

(16) Celebris potissimum est controversia inter Origenem & Africanum de Historia Susannæ a Daniele descriptam, quam ille ceu veram, ac germanam libri Danielis partem, ac θεόπνευστον retinendam, hic ceu confictam, spuriamque rejiciendam esse putabat. Utriusque epistolas hac de re scriptas vide in Tom. I. Opp. Origenis: præcellit autem ingenii vi, judicii, & Critices acumine Origenis epistola, qui auctoritate usus

G omnium

omnium Ecclesiarum, in quibus Susannæ historia Græco sermone exarata legebatur, veluti genuinum Danielis opus esse eandem probat, tum hac sententia Africanum perstringit: Πρὸς ταῦτα δὲ σκόπει, εἰ μὴ καλὸν μεμνῆσθαι τοῦ· οὐ μεταθήσεις ὅρια αἰώνια, ἃ ἔστησαν οἱ πρότεροί σου;

(17) Quæ de Clemente hic affirmat Farlatus, leguntur etiam in secundo Catalogo Romanorum Pontificum ex Codice mſ. Reginæ edito a Papebrochio in Propylæo pag. 59. Ven. Edition. eademque habes in Codicibus Freheri, & Parisiensi, & Monasterii Bertiniani, uti Papebrochius ibidem testatur in part. 2. Apparat. prævii ex Præfat. Henschen. Liber tamen Pontificalis, de quo idem Farlatus, *Damasi certe non esse uno consensu viri omnes eruditi nunc sentiunt*; aut vero *Anastasii Bibliothecarii primus hic conatus fuit*; *aut alius ab eo sæc.* VII. hunc librum scripsit: subdit Papebrochius ipse in Differt. ad vitam Damasi in Opere laudato. Equidem Anterus quoque Romanus Pontifex *gesta Martyrum diligenter a Notariis exquisivit*, *& in Ecclesia recondidit*; uti præfert idem Catalogus; nec dubium est Papebrochio ex Præfat. Hensch. quin Anterus idem primæ partis primi Catalogi Pontificum Roman. *si non scriptor*, *scribendæ certe auctor statui* queat: cumque *uno mense*, ait ibidem Papebrochius, *in suo Pontificatu* sederit, *videtur gesta* Martyrum *exquisivisse necdum Pontifex*. *Immo Acta SS. Urbani & Callisti videri a S. Antero scripta dicemus* XXV. die, *&* X. *Maii*.

(18) Ita & in laudato Catalogo secundo.

(19) De hisce Actis dubitare videtur Mabillonius part. 2. cap. 8. de Studiis Monast., *de quibus*, inquit, *Scriptorum neminem ante octavum sæculum meminisse novimus*; *quamquam videtur Missalis Gothici Auctor ante annos mille ea legisse*, *ac notasse festa die ejusdem Sancti Apostoli*. Sed Carolus Christianus Vvoog in opere, quod de Actis iisdem, seu *Epistola Presbyterorum & Diaconorum Achajæ de Martyrio S. Andreæ Apostoli* edidit Lipsiæ an. 1749., Exercitat. 3. §. 13. eruditissime probat adversus Tillemontium, genuina esse ac sincera hujusmodi Acta, ea-

que

que descripta anno circiter octogesimo sæculi primi, *quia Auctores hujus Epistolæ ipsi Martyrio interfuerunt*; uti §. XIX. ostendit contra Caveum, qui ad annum LIX. eandem rejicit Epistolam in Hist. Litt. Script. Eccl.

(20) Docte pieque, uti decet Criticum virum Catholicum, disserit de Actis hisce, quæ Farlatus indicat, Theodoricus Ruinartius in Opere de selectis Martyrum Actis; quæ de Smyrnensibus, & Lugdunensibus Martyribus feruntur, ad posteros transmisit Eusebius Cæsareensis lib. 4. cap. 15. & lib. 5. cap. 1. Historiæ Eccles. Sed Smyrnensia integra edita fuerunt e vetustis Codicibus Londini ab Jacobo Usserio, uti Valesius ea profert in notationibus Eusebii Historiæ subjectis; qui arbitratur præterea Lugdunensium Actorum Scriptorem fuisse S. Irenæum tum Lugdunensis Ecclesiæ Presbyterum. Porro Dionysius Alexandrinus Antistes gesta Martyrum Alexandrinorum describit, qui anno etiam ante imperium Decii martyrium subierant. Id ipse testatur in epistola ad Fabianum Antiochiæ Episcopum; quam Eusebius in lib. 6. cap. 41. suæ Hist. retulit: Οὐκ ἀπὸ τῶ βασιλικῶ προστάγματος ὁ διωγμὸς παρ' ἡμῖν ἤρξατο, ἀλλὰ γὰρ ὅλον ἐνιαυτὸν προὔλαβε: quod etiam Valesius ibidem animadvertit.

(21) Unius Mabillonii testimonium & auctoritatem subjicio ex loco laudato: nam ex antiquo Codice Obrechtino, ut ipse appellat, hæc refert de Actis S. Vigilii Episcopi Tridentini & Martyris: *Gesta beatissimi Martyris, ut moris erat, urbis Romæ Episcopo transmissa est, ut sacris Martyrum memoralibus inderetur*: passus est Vigilius paullo post sæculi quinti exordia. His vero subdit Mabillonius: *Sæculo quinto, vel certe non multo post acta Martyrum saltem ex Italia ad Romanum Pontificem ex more mittebantur, ut vel ab eo auctoritatem acciperent, vel ut in Romano scrinio asservarentur, vel denique ut in sacris Romanæ Ecclesiæ diptychis Martyres locum obtinerent*. Tum num. 95. *Magnam etiam cautionem adhibebant Episcopi etiam altarum regionum inter se se: immo etiam fideles ipsi aliquem pro Martyre coli vix ferebant, nisi acta martyrium indubitata contestarentur*; quod plu-

pluribus probat exemplis ex Optato Milevitano, ex Carthaginiensi Collatione, ex Historia Socratis, ex S. Martino Turonensi, & Gregorio Lingonensi Episcopis, ex Lemovicensi Concilio an. 1031., tum ex epist. 31. lib. 12. Gregorii M. ad S. Augustinum.

(22) Canonum Apostolicorum auctoritatem egregie vindicat Guillelmus Beveregius tum in Judicio iisdem præposito in Tom. 1. Patrum Apostol. a Cotelerio edit., tum in eorum defensione adversus Dallæum lib. 1. cap. 1. num. 4. inserta Tom. 2. Operis ejusdem; censet autem, secundo exeunte, vel inito tertio sæculo constitutos editosque fuisse, & a Clemente Alexandrino in unum fortasse colligi cœptos cum Constitutionibus Apostolicis: & lib. 2. Defens. cap 7. num. 4. hunc præcipue Canonem de libris hæreticis contra Dallæi argumenta disertissime tuetur. Est hic numero sexagesimus ex Græco Codice Bodlejano a Beveregio vulgato Tom. 1. Pandect. Canon. Εἴ τις τὰ ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία, ὡς ἅγια, ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας δημοσιεύῃ, ἐπὶ λύμῃ τοῦ λαοῦ, καὶ τοῦ κλήρου, καθαιρείσθω. In libro autem sexto Constitut. Apostol. legitur caput 16. περὶ τῶν ψευδεπιγράφων βιβλίων, quorum aliquot referuntur. Porro ad rem nostram gravissima est Beveregii sententia in ipso Defens. laudatæ procœmio: *Eo temeritatis delira hac nostra ætate deventum est, ut nihil propemodum in ipsa sit religione Christiana, quod non vel privatim in dubium, vel in controversiam publice vocetur.*

(23) De tempore Synodi Laodicenæ varia est eruditorum opinio. Beveregius suspicatur Canones Laodicenos constitutos fuisse anno 365. multoque est vero similior ejus, quam Binii sententia. Hic Canon est numero 34. Ὅτι οὐ δεῖ πάντα Χριστιανὸν ἐγκαταλείπειν μάρτυρας Χριστοῦ, καὶ ἀπιέναι πρὸς τοὺς ψευδομάρτυρας, τουτέστιν αἱρετικῶν, ἢ αὐτοὺς τοὺς προειρημένους αἱρετικοὺς γενομένους· οὗτοι γὰρ ἀλλότριοι τοῦ Θεοῦ τυγχάνουσιν· ἔστωσαν οὖν ἀνάθεμα οἱ ἀπερχόμενοι πρὸς αὐτούς. Notat autem Zonaras, *quosdam ex hæreticis, dum Christiana religio infensis principum odiis agitaretur, cruciatus pertulisse, atque in tormentis usque ad necem obdurasse, quos proinde instar martyres gregales venerabantur:*

ve-

verum pseudo-martyres atque a Deo alienos hic Canon appellat. Vide Tom. 1. Pandect. Can. pag. 468. & Tom. 2. pag. 196. in notationibus Beveregii. Concilium Carthaginiense, quod innuit Farlatus, habitum est anno 398., Canon vero allatus numero decimus quartus. Milevitanum secundum ad annum spectat 416. Canon est duodecimus.

(24) Haud temere Farlatus Decretum hocce Gelasio attribuit, *quod magna virorum hujus aevi doctorum conspiratione* eidem adscribitur, inquit Pearsonius in Vindic. Ignat. part. 1. cap. 4. ubi in id maxime incumbit, ut probet, decretum ipsum ab ignoto Auctore confectum fuisse, nec posse inter Gelasii decreta censeri. Nostrum non est in hac controversia differere, circa quam viri plane eruditi, alii pro Gelasio, alii contra disputant.

(25) Graecus Canon Trullanus est hujusmodi: Τὰ ψευδῶς ὑπὸ τῶν τῆς ἀληθείας ἐχθρῶν συμπλασθέντα μαρτυρολόγια, ὡς ἂν τοὺς Χριστοῦ μάρτυρας ἀτιμάζοιεν, καὶ πρὸς ἀπιστίαν ἐνάγοιεν τοὺς ἀκούοντας, μὴ ἐν ἐκκλησίαις δημοσιεύεσθαι προστάττομεν, ἀλλὰ ταῦτα πυρὶ παραδίδοσθαι· τοὺς δὲ ταῦτα παραδεχομένους, ἢ ὡς ἀληθέσι τούτοις προσέχοντας, ἀναθεματίζομεν. Balsamon, Zonaras; & Aristenus hic animadvertunt, Canonem hunc sancitum fuisse adversus Ethnicos, aut etiam haereticos homines, qui falsa, & improba Martyrum Acta confingebant; ut sanctis Martyribus irriderent: subdit vero Balsamon, Metaphrastem iccirco repurgandis, & exornandis Martyrum certaminibus studuisse; tum narrat de Nicolao Muzalon Patriarcha Constantinopolitano an. circ. 1147. qui vitam S. Parasceves inepte, indocte, ac indigne scriptam comburi jussit.

(26) Lecta sunt haec verba in Actione v. Septimae Synodi Oecumenicae & Nicenae secundae ex libro S. Amphilochii Episcopi Iconiensis *de falsis superscriptionibus haereticorum*: Δίκαιον δὲ ἡγησάμεθα αὐτὴν γυμνῶσαι τὴν ἀσέβειαν, καὶ δημοσιεῦσαι αὐτῆς τὴν πλάνην, ἐπειδὰν καὶ βιβλία τινὰ προβάλλονται ἐπιγραφὰς ἔχοντα τῶν ἀποστόλων, δι' ὧν ἀπλουστέρους ἐξαπατῶσι. Queis recitatis, librum illum, cujus pars in

Concilio perlecta fuerat, cuique titulus fuisse inscriptus videtur *Itineraria Sanctorum Apostolorum*, Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, & Synodus universa, probato Amphilochii testimonio, censuit damnandum, uti alios quosdam in eadem Synodo ad legendum propositos.

(27) Sane quae Joannes Launojus de celebrioribus media aetate scholis, quae de Academiis Jacobus Middendorpius, quae, ut ceteros sileam, de scholis Germaniae in suo itinere Germanico, de viris omnigena doctrina, atque eruditione per ea saecula praeclarissimis scripsit Mabillonius in Praefat. ad Acta Sanctorum Ord. S. Benedicti, summae vel impudentiae vel inscitiae Criticos istos coarguunt, quorum ea demum tota laus est, ut mortuorum contemptu atque inimicitiis clarescant.

(28) Neque haeretici homines hanc laudem Monachorum coetibus denegare potuerunt: quare Joachimus Vadianus in lib. 7. de Colleg. & Monaster. Germ. *In Praesule*, inquit, *duae res potissimum spectabantur pietas & eruditio. Pietatem a vitae innocentia, & divini cultus amore metiebantur; eruditionem vero a judicio, & a doctrinae praestantia, quam quia paullo majorem habebant illa saecula, persaepe accidit, ut & Monachi doctrinae fama commendati, & quod omni studiorum facultas eo tempore praecipue in monasteriis regnabat, in Episcopos electi, & summis sedibus praefecti fuerint*. Tum in libro eodem: *Cura aliqua studiorum illis saeculis fuit in Monasteriis. Id quod testantur bibliothecae plures praecipue Fuldensis, Laurhesemensis, Hirsaugiensis, & Caesariensis prope Nordlingam, aliaeque non paucae in Germania; quas inter & ea, quae S. Galli est, merito censetur, optimis quondam libris & selectis referta*. Joannes autem Marshamus in Propylaeo Monastici Anglicani testatur, *Monachatum olim fuisse partem gentis Ecclesiasticae, & parietes coenobiales diu sanctitatis, & melioris litteraturae fuisse sepes, ex illo Seminario prodiisse illa Christiani orbis lumina Bedam, Alcuinum, Vvillebrordum, Bonifacium, atque alios ob propagatam fidem, & doctrinam impense colendos*; additque; *absque Monachis nos sane in historia patria semper essemus pue-*

pueri. Quod adeo verum, ut eorum temporum monumenta quævis ferme natio in Europa Monachorum Chronicis debeat., quæ plurima ab iis descripta hac nostra ætate e bibliothecis, & tabulariis Monasteriorum prodierunt. De Actis porro Divorum inde erutis vide Hagiographos Antuerpienses, & Acta Sanct. Ord. S. Benedicti.

(29) Vide ejus Hagiologium editum Moguntiæ anno 1541.

(30) Clericus olim in Tom. 2. Art. Crit., & nupersime Falsterus in part. 3. Amœnit. Philolog. disc. 12. Lanfrancum calumniantur veluti Divinorum librorum corruptorem; cum e contra Thomas Tannerus in Biblioth. Brittanico-hibernica hoc illi laudi tribuit testimonio usus Vvarthoni A. S. Tom. 1., quod *multos veteris & novi Testamenti libros scriptorum vitio corruptos correxerit*. Lanfrancum *virum doctissimum* vocat Guitmundus Episc. Aversanus in lib. de Corp. & Sang. Christi contra Bereng. & Joannes Pitteus in lib. de illustr. Angl. Scriptor. *Vir*, ait, *ingenio*, *pietate*, *doctrina cum præcipuis quibusque sui temporis doctoribus merito comparandus* erat Lanfrancus. *Avidum hominis ad doctrinam ingenium quidquid erat ubivis gentium scientiæ sitiebat ardenter*, *imo imbibebat diligenter*. Quin *libros* Divinos, *quos rudis simplicitas Anglicana corruperat*, *ab antiquo sane diligenter correxit*; uti Florilegus ad an. 1089. in notis Vitæ Lanfranci subjectis, editisque cum ejus Operibus Parisiis an. 1648. & Matthæus Parisius in Hist. Anglor. ad eundem annum; Lanfrancus *libros veteris ac novi Testamenti Scriptorum vitio corruptos corrigere studuit*, *cujus emendationis luce tam Anglorum Ecclesia*, *quam Gallorum se gaudet illustrari*. Quid igitur in Clerico, & Falstero reprehendas, nisi impudentissimam obtrectandi libidinem, & arrogantiam?

(31) Edidit Mabillonius in Tom. 5. Opp. D. Bernardi *Censuram Stephani Abbatis Cisterciensis Secundi de aliquot locis Bibliorum*, quæ præposita est Codici Bibliorum Monasterii Cisterciensis jussu ipsius Stephani exarati; & ad calcem hæc leguntur: *Anno* MCIX. *ab Incar-*

carnatione Domini liber ille finem sumpsit scribendi gubernante Stephano II. abbate Cœnobium Cisterciense. Ibidem habes *Acta Capituli Generalis Ord. Cisterc. anni* MCXCVII.; queis Archiepiscopi Lugdunensis jussioni a Farlato memoratæ obtemperandum statuitur.

(32) Innumera essent, quæ proferrem, si exemplis hunc Farlati locum illustrare vellem. Nam quod ad Historiam Divorum attinet, *libellus de vita & miraculis venerabilis Udalrici* Episcopi Augustani a frequenti Episcoporum conventu coram Joanne XV. Pontifice probatus est an. 995. Vita & miracula B. Viboradæ Clementis II. P. auctoritate dicitur laudata a Burchardo Monacho cap. 6. S. Conradum Constantiensem Episcopum haud ante in Divorum numerum referri jussit Callistus II., quam *vita ejus in Concilio generali recitaretur, & comprobaretur*; uti ejusdem Pontificis litteræ testantur ad Udalricum Constantiæ Antistitem. Innocentius vero II. an. 1134. Hugonem Gratianopolitanum, *cognita* prius *vita ejus, & auditis, quæ per eum fiebant, miraculis*, tum *audita vita laudabili beati Sturmii Abbatis Fuldensis*, *cognitis etiam ex parte miraculis* ejus, utrumque eodem honore donavit: ex Præfat. in Sæc. v. Benedict. Fulbertus Carnotensis in Serm. de Nativ. Virginis quemdam librum *de ortu ejus & vita* scriptum minime in Ecclesia legi, ceu apocryphum, permisit. *Quod de lepra Constantini legitur*, tanquam *apocryphum*, *quia in nullis libris authenticis, neque in Chronicis legitur*, rejecit jam Goffridus Viterbiensis Presbyter in Chronico part. 16. In Sanctorum probandis reliquiis eandem Episcoporum curam, & Abbatum deprehendes ex Conciliis, & Scriptoribus mediæ ætatis. Guibertus Abbas Novigentinus in lib. de pignoribus Sanctorum, Sanctimedardenses Monachos arguit, *qui dentem Salvatoris habere se* asserebant. Statuit Carolus Magnus in Capitulari an. 801. *de sanctis noviter inventis*, *ut nisi Episcopo probante minime colerentur*; & Concilium Moguntinum anni 813. can. 51. *ne corpora Sanctorum de loco ad locum transferri queant sine consilio Principis, vel Episcoporum, & sanctæ Synodi licentia*. Quot autem, & quæ

vis

vis ad hanc veritatem dignoscendam testimonia & monumenta facile colliges ex ipsis mediæ ætatis Auctoribus, præsertim vero ex Annalibus Ord. Bened. & Actis SS. Ord. ejusd., & Annal. Camaldul. summa eruditione, & sagaci judicio confectis.

(33) Adalbertus Gallus natione, & Clemens Scotus ambo hæretici in hac Synodo damnati fuerunt: Adalberti vero præsertim de Angelis quibusdam a se confictis error reprobatus a Patribus Concilii; quia *non nomina Angelorum, sed nomina Dæmonum sunt, quæ in suis orationibus invocavit ad auxilium præstandum sibi*. Vide Tom. 8. Venet. Collect. Conc.

(34) De Sanctorum *Canonizatione* ex veteribus monumentis erudite disserit Mabillonius in Præf. ad Sæc. v. Benedictin. qui ceteroquin veluti falso confictas rejicit litteras Leonis III. P. de S. Suitberti *Canonizatione*, & ab Alexandro III. primum, deinde ab Innocentio III. hanc potestatem Divos consecrandi nemini in posterum præterquam Romano Pontifici tribuendam decretum fuisse testatur. Papebrochius in Dissert. subjecta vitæ Joannis XV. P. de Suitberti *Canonizatione* idem sentit ac Mabillonius, sed in dubium revocat Decretum Alexandri III. de attributa in posterum Romanis solum Pontificibus Divorum Apotheosi. Farlatus D. Suitberti Apotheosin a Leone celebratam fuisse affirmat Bellarmini, aliorumque testimonio, qui in eadem sunt sententia. Certius sollemnis Apotheosis monumentum a Romano Pontifice primum institutæ extat in Actis Joannis XV. P., qui Udalricum Augustanum Episcopum Divorum fastis inseruit anno 993. Cetera, quæ ad hanc rem spectat, vide in doctissimo Opere de *Canonizatione Sanctorum* a Benedicto XIV. Pontifice elaborato.

F I N I S.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. *F. Gio: Tommaso Mascheroni* Inquisitor General del Santo Officio di Venezia nel libro intitolato; *Artis Criticæ inscitia Antiquitati objecta refellitur*, *Ms.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza a *Niccolò Coleti* Stampator di Venezia che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di stampe, e presentando le solite copie alle pubbliche librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 6. Gennaro 1776.

(Alvise Vallaresso Rif.
(Andrea Tron Kav. Proc. Rif.
(Girolamo Ascanio Giustinian Kav. Rif.

Registrato in libro a carte 335. al num. 886.

Davidde Marchesini Segr.